8.38. O.28

C. II. 10.

X = 13

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA

8
38 O
28

p. 3 - 4

Digitized by Google

Digitized by Google

R. BIBL. NAZ. V. E. II

DONO LEONARDI

AESCULAPIUS

ROMA




GEORGI WOLFGANG WEDELI MED. D. PROFESSOR PUBLIC. MEDIC. DUCAL. SAXONICI ET S. R. IMPER. ACADEMIÆ NATURÆ CURIOSORUM ADJUNCTUS ÆT. XXXI.
M D C. LXXVII.
Hæc facies Charitum est,
unde petit dulces Eulalia
Agnora WEDELIUM ne peſce: en
tantâ prole bonum monſtrat ubique patrem.
Collegæ et Compatri,
P. L. M.
Philippus Mullerus
PP. Extraord.

GEORGII WOLFF-GANGI WEDELII,

MED. DOCTORIS, PROFESSORIS PUBLICI, ET MEDICI DUCALIS SAXONICI,

DE

MEDICAMENTORUM FACULTATIBUS

cognoſcendis & applicandis,

LIBRI DUO.

Albertus Guntherus Saxo Med. et philos. St.

JENÆ,

Sumptibus JOHANNIS BIELCKII, Bibliop.

Excudebat SAMUEL KREBSIUS.

ANNO M DC LXXIIX.

Digitized by Google

Sereniſſimis ac Celſiſſimis
Principibus & Dominis;

Dn. RUDOLPHO AUGUSTO,
Dn. ANTONIO ULRICO,

DUCIBUS BRUNSVICENSIBUS
ET LUNEBURGENSIBUS,

Dominis, Dominis ſuis Clementiſſimis,

SALUTEM ET FELICITATEM
perpetuam!

D.

GEORG. WOLFFG. WEDELIUS.

SERENISSIMI PRINCIPES AC DOMINI,

QUod ad Veſtrar. Sereniſſ. Celſit. pedes humillimè offerre ſuſtineo levem hunc ingenii mei fœtum, non una eſt ratio.

Inoluit ſanè à pluribus ſeculis mos iſte, ut inſcriberent eruditi opera ſua ſummis Viris, vel eo ſolo contenti, quod præfixum nomen operi fœneraret inſigne decus, ſi non opus ipſum illuſtri nomini.

Satis

Satis eſt, corporeos terræ Deos ſubmiſſam inde agnoſcere venerationem, & gratias ipſis referri, quod tam liberaliter ingenua ſtudia fovent, promovent & illuſtrant, eoque fructus non contemnendos perſpiciunt.

Si memoriâ repeto Sereniſſimæ Domus veſtræ celſiſſima ſidera, potentia Europæorum Principum nulli cedit, celſitudine natalium præfulget, tropæis multas ſuperat, gratiâ & promotione Scholarum & Eccleſiarum plurimis palmam præripit.

Nec illa communia gentis veſtræ attingere attinet cœlitus conceſſa ſublimitatis genera, Vos ipſi acceſſione propriorum decorum & meritorum æternum arrogaſtis pondus. Devictas urbes, captos & triumphatos hoſtes, comparatam belli gloriam ſuſpicit Germania, Voſque Deos tutelares in ſinu ſuo fovet, amplectitur & colit. Vel hoc ſolo admirabitur ſplendorem poſteritas, qui exteris & potentiſſimis illis eſt formidabilis.

Neque eo ſolum demeremini Patriam, Patres Patriæ Auguſti. Plura ſunt, quæ Deus & natura vobis ſuggeſſit, ut publico cedant populorum bono. Quoties animo contemplor divini parentis veſtri, beatiſſimæ & glorioſiſſimæ memoriæ ſtupenda opera, perpetuitatem in vobis cum univerſis piè veneror.

Eſt penes vos literaturæ illud cimelium, antiqui & novi orbis eruditi uterque polus, omnium artium, ſcientiarum, linguarum theſaurus.

Jactent

Digitized by Google

Jactent Ptolemæi reges vigiliis intentis compoſita ſeptingenta voluminum millia, ſi Ammiano Marcellino credimus. Superbiat Europa ex toto orbe conquiſitâ inexhauſtâ librorum ſupellectile, variis locis & aulis inſtructâ. Veſtra illa omnibus palmam dubiam reddit, ſi non copiâ, tamen ſelectu, pretio, apparatu, ſplendore.

Imò majorem dicere auſim, ſi tempus æſtimem, quo colligi cœpit, ſi præſidem, & directorem, principem, quo literatum magis nunquam orbis vidit; ſi ordinem & laborem incredibilem, quem impenſum oculi fidem faciunt & ſenſus; ſi incrementa, quæ inde tanquam è cornu copiæ plenis alveis in univerſam ſapientiam promanârunt.

Non inſigne id Germaniæ decus eſt? Non divini principes, qui avitam gloriam ſuâ virtute & eruditione cumulant? Malo autem poſteritas illa monumenta deprædicet, & fama ebuccinet, tam ſpecioſa, tam amœna, tam acuta & illuſtriſſima, quæ è vobis nata paria nec habent, nec invenient, quàm inſubidâ ſcriptione dignitatem dicendo dum aſſequi nequeo, obſcurare.

Sufficiat me in partem venire gratiæ veſtræ, quam univerſis commodatis, & ſubmiſſiſſimâ oblatione chartacei hujus munuſculi venerationem teſtari, Deumque precari, ut non minus longævitate paternum exæquetis faſtigium, quàm eruditione, potentiâ, gloriâ immortali, applauſu populorum, quo id ſupergreſſi eminetis. Deus vos ſervet! Dab. Jenæ è muſéo Anno M DC LXXIIX. III. Id. Februar.

Præfatio ad Lectorem.

APud Indos olim novo anno incipiente Philoſophi omnes ad regis fores conveniebant, &, quidquid quisque compoſuerat vel obſervârat eo anno de fructibus, de animalibus, de republicâ, in medium proferebant, teſte *Strabone lib.15.*

Notabile id fuit literatorum commercium, laudatiſſimum exemplum. Patronus & director erat rex. Dignum rege factum! Admittebat non ſolùm hic ſapientes; ſed procul dubio potiùs invitabat, &, ut id fieret, jubebat. Tantum eſt, patronum obtinere ſtudiorum ac Mæcenatem, qui eadem foveat, dirigat, atque promoveat.

In ſinu gaudere mihi videor, cùm ob oculos ponimus aſſidentes philoſophos, agmine facto confluentes, non quaſi ad tribunal, non qui delictis infames, vel ſupplicibus libellis pulſare fores ſuſtineant; ſed congreſſu amicabili & æmulatione dignâ affluentes, ut quilibet in publicum effunderet, quidquid acceſſione ſuâ ad notitiam & incrementum rei literariæ, ſeu ſcientiarum potiùs & artium pertineret.

Duo verò potiſſimùm hîc erant, de quibus conſultarent, & inventa nova obſervataque in medium proferrent, *naturalia & politica.*

Fructûs & animalia ſcrutari dignum opus eſt & Philoſopho & Medico. Triplex regnum, vegetabile, animale, & minerale, quò metalla pertinent, inexhauſtus eſt fons, qui exhauriri inveniendo & cogitando nunquam poteſt, quin ne penetrari quidem. Tanta eſt abyſſus, tanta profunditas! Abſcondita in eo latent DEI magnalia, theſauri incomparabiles, miranda infinita.

Quanti igitur fuerit, circa hæc obſervata, notata, experta, conferre amicè, publicare, & in medium proferre, dici vix poteſt.

Heu, quàm tenerentur omnia! quàm inoperta ac confeſſa eſſet veritas, & explorata ſingula, ſi hæc conferendi & communicandi ſolertia

in-

Digitized by Google

in noſtrum usque diem eſſet continuata! Eſſet, de quo nobis gratulari poſſemus,& ſcire, quæ neſcimus,cognita habere & perſpicere ad unguem, quæ inquirimus, circa quæ dubitamus!

Non minùs item circa *politiam* curioſi erant Indi, quin & de republicâ, quæ obſervaverant atque compoſuerant,hîc proferebantur; quomodo novus urbibus ornatus, major regioni ſplendor, commerciis incrementum accedere poſſit.

Licebit nobis, Indorum hoc egregio exemplo inductis, in præfationis vicem pauca **de incrementis artis medicæ promovendis** diſſerere.

Equidem, ſi excolere medicinam, & incrementum ipſi fœnerari in animo habemus,repurgandum priùs eſt Augiæ ſtabulum,tot falſa puto, tot figmenta,& tantùm non mendacia à plurimis ſeculis ad nos pertracta, & transſcribendo communicata. Turpe dictu eſt; ſed veriſſimùm ſanè, plurimis herbariorum libros ſcatere mendaciis: turpius adhuc, non minùs chimicorum ſcrinia falſis abundare innumeris.

Illi multitudine virtutum, quas nunquam obſervarunt, quin ne inquiſiverunt quidem,refarciunt tanta volumina,& non vulgus ſolùm ignarum, non magnates & alios eruditos; verùm etiam ipſos medicos ſeducunt. Reverà tamen, ſi omnes excutiamus loculos, coguntur *Helmontii* judicium verum experiri, *nihil ferè ab ipſius Dioſcoridis tempore acceſſiſſe rei herbariæ*, ſi nomina excipias, adeò rara hîc invenias experimenta.

Hi proceſſibus innumeris orbem replent, & laudibus immodicis medicamenta onerant, quæ primò inflant hominum ſpes, deinde deſtituunt, habentque ſe tanquam gaudium foliatum, quod in immenſum tenditur ſicut aurum, ut cum *Verulamio* loquamur, &, quod in proverbio dicitur: *ἄνθρακες ὁ θησαυρός*.

Aſt remedium his aliud nullum, quàm iſtud *Pindaricum*: *Μέμνασο ἀπιςᾶν*. Seligere oportet ex mercibus his, quæ meliores, & rejicere abjectas & exoletas. Exauctoranda ſunt, quæ, ut *Hippocrates* noſter ſcribit, in experimentum aſſumta ſucceſſu caruerunt, & notandum,cur ſucceſſum non habuerint. Aliàs in antiquo hæremus luto,&,quod *Keplerus* de philoſophiâ ſcribit,medicina nihil aliud eſt, quàm continua novatio in antiquâ ignorantiâ.

Utinam ergò inſatiabile ſcribendi cacoëthes apud Medicos ceſſa-

ſet, neque illa in lucem ederentur, quæ non inventionis acumine, aut genii lepore politi applauſum ſeculi poſſint provocare. Compilatores multos habuimus hactenus, ſcriptores paucos.

Hoc modo proprio nitore coruſcabit medicina, & tot theſauri & gemmæ in cœno quaſi hærentes, vel nebulis obfuſcatæ, luce videnda erunt publicâ. Scientia, inquam, ſtabiliri poteſt, ſi falſa removeantur.

Non id unius hominis labor eſt; ſed unanimes in hoc fas eſt eſſe medicos accuratos & curioſos. Non ſcilicet compilatione & transſcriptione librorum, non inanibus argutiis & quæſtiunculis, in quo cæteri delinquunt, non aliis mendaciis & falſis irretiendus animus, qui ſolidam ſcientiam & eruditionem affectat.

Duo ſunt fulcra ſtatuæque Mercuriales totius medicinæ, quæ omne id, quod hactenus innotuit, ſola ſuggeſſerunt: RATIO & EXPERIENTIA. Ad horum lapidem Lydium omnia examinanda, adeoque, quæ cum *experientiâ* nullo modo reſpondent, æternæ oblivioni committantur, quæ probata ſunt, ſeligantur. Quoad *rationem* verò, utut negandum non ſit unam experientiam plus valere, quàm centum rationes; attamen id quoque incrementi medicinæ fundamentum eſt, ſi rationem inquiramus agendi. Quid miramur dotes vegetabilium v. gr. innumeras, ſi non rimemur cauſas & modum agendi? Hæc clavis eſt ſcientiarum, hoc certitudinis promtuarium.

Hâc obtentâ panſa ſunt omnia, & emicant, quæ occulta eſſe credentes cœco ductu applicabamus. Unicum ergò & quaſi ſummum incrementi artis noſtræ conſilium eſt, inventa & re ipſâ comprobata ac fundamentum in re habentia ſeligere, & ſcrutari porrò abdita.

Erratur verò hic in utramque partem. *Quidam* unicè veteribus inhærent, & pro oraculis eorum effata habent, ut audias quosdam, ſe malle potiùs errare cum Galeno & Philoſopho, quàm cum recentioribus ſapere. *Alii*, ſpretis omninò veteribus, novas ſibi ipſis fingunt hypotheſes, & ad nutum omnia dirigere conantur, imò ad primam quamque inſpectionem transfugiunt à receptis opinionibus, ac temere conſtruunt effata univerſalia.

Si rem penſites, de principiis lis ſumma eſt, an juxta elementorum doctrinam, an ſecundùm Epicureorum & Gaſſendeam, Carteſianamque hypotheſin, an juxta principia chimica, quæ quivis ſibi fingit, addit, minuit,

nuit, multiplicat, arceſſenda ſit morborum origo & medicamentorum agendi modus; cùm tamen hæc omnia benè poſſint conciliari.

Ad ſolidam ſcilicet eruditionem, & incrementum medicinæ promovendum requiritur, ut noveris, in quantum jam progreſſa ſit; aliàs contingit Medicis, quod Soloni apud ſacerdotes Ægyptios: unus nempe horum, *ô Solo, Solo*, ajebat, *Græci ſemper eſtis pueri, nec quiſpiam è Græciâ ſenex.* Cur iſtud diceret, percontans Solon, reſponſum tulit, *quia juvenis ſemper vobis eſt animus, in quo nulla eſt ex vetuſtatis commemoratione priſca opinio, nulla cana ſcientia.* Hinc, ut cum *Cicerone* loquamur, neſcire, quantum, antequam natus ſis, promota ſit medicina, eſt, ſemper eſſe puerum.

Hoc ipſum ſanè promotionis fuit per aliquot ſecula impedimentum, non invenire, nec inquirere, inventis non rectè uti, terræ quaſi filium eſſe, inglorium habere animum. Hinc ſane ſæpe in medicinâ

— — *redit labor actus in orbem.*

Circulatio ſanguinis Hippocrati & veteribus dudum nota ab Harvéo denuò quaſi erat invenienda: venæ lacteæ & lymphaticæ alio indutæ pallio novæ fuerunt viſæ; cùm tamen & apud *Euſtachium* & veteres ipſos manifeſta horum occurrant veſtigia. Relinquenda nihilominus inventoribus quàm maximè gloria, qui nova hæc climata, incuriâ vel temporum injuriâ ab aliis non viſa, detexêre.

Maximè ergò promovebit incrementum artis medicæ, ſi in poſterum ponamus, tanquam in ſolium, videnda nota & exacta, luci expoſita, & hæc ipſa indies illuſtrare allaboremus.

Non id fieri poteſt ſubtilibus argutiis, quæſtiunculis, controverſiis infinitis, ſive de morbis, ſive de uſu partium, ſive de aliis volvantur, quæ ſpeculationes ſæpe ſunt inutiles, non ex rei fundamentis pro acquirendâ certâ notitiâ erutæ, ſaltim in praxi uſu omni carentes.

Porrò provehetur incrementum medicinæ per ANATOMEN. Verum quidem eſt, nos in mortuo cadavere ſaltim ſpeculari, quo in loco, ceu laboratorio, admirandas ſuas operationes exegerit natura; ad ipſum tamen culmen, ad ipſius formæ principia, non niſi per nebulam licet videre. Unde & empirici apertione corporum, quam vim quæque pars habeat, non notius evadere, aſſerebant, quia poſſit fieri, ut patefacta & detecta mutentur. Attamen multa hodiè ſubtiliùs patent, Machina

corpus noſtrum eſt, cujus quælibet pars meretur admirationem & profundam inveſtigationem: quò ſubtiliùs verò & intimiùs perſpicimus inquiſitione ſedulâ fabricæ ipſius artificium,&morbis his illis defunctorum cadavera, eò magis id nobis in ſtatu naturali & præternaturali pateſcit.

Aſt, ***quantum eſt hiu in rebus inane!*** Poſt, quam inventa jam ſunt quaſi omnia, ut vix videatur reſtare aliquid poſteris circa hoc ipſum, vix tamen incrementum artis profectum videtur, ſi tot dubias autorum opiniones conſideremus. Sanè per anatomen hactenùs multa ſunt inventa, aſt, quaſi minùs certi inde reddimur. Dies me deficeret, ſi de lienis, bilis,pancreatis uſu tot diverſas ſententias in proſcenium proferrem. Sed ex his filo Ariadnéo patet exitus, ſi judicium adhibeamus accuratum. Alia ſunt, quæ videntur mirum quantum promovere incrementum hoc, ***obſervationes anatomicæ***, imò & aliæ rariores. Solemus in his laureolam quærere, quæ rara ſunt, quæ inſolita, quæ nondum viſa. Luſûs naturæ admiramur; ipſi verò his illudimur.

Si dicere volumus, quod res eſt, parum incrementi à monſtrorum quorumvis, animalium, quæ frequentiora,vegetabilium & mineralium conſignatione acceſſit hactenus medicinæ aut phyſicæ ipſi. Imò tantò magis elongamur à naturâ, quantò lubentiùs in hiſce extraordinariis delectamur. Fortunæ id res eſt, quod hic vel ille tale vel tale invenit,non conſilii, non inventionis.

Atat, ***& prodeſſe volunt & delectare*** ut ***poëtæ***, ita & ***medentes***. Sint hæc delectamenta, annotentur in hiſtoriam naturæ, & inſerantur Ephemeridibus; alterum tamen, quod potius eſt, non negligatur.

Simus in hoc avari, magis curemus, quid utile,quàm, quid jucundum ſit: ex ipsâ enim utilitate jucunditas reſultabit facilè. Ad incrementum ſcilicet artis plurimum faciet, ſi ad ſingula ſcripta, obſervataque & edita quæramus: cui bono? cui uſui? quæ acceſſio ad humanam ſalutem? Verſamur circa ſubjectum nobiliſſimum, non corium, non ligna. Vid. ***Galenus* 1. *aphor. comm.* 1.** In hujus ***ergo*** uſum comparemus omnia. Omne utile hîc jucundum,nihil jucundum,niſi quod utile.Momentaneum cæteroquin eſt, quod delectat,quod ſemel viſum nos afficit,neque in communem cedit uſum.

Hoc ſelectu adhibito, hoc Lydio lapide pauca ſanè erit hæreditas, parca aſſervatoria, & cellæ ferè inanes.

Si

Digitized by Google

Si noverimus, curioſiſſimam eſſe architectam naturam, & ἄνθρωπον εἶναι μικρόκοσμον, juxta *Boëthium*, multum incrementi ac lucis arti fœnerabimur, ſi MECHANICIS DEMONSTRATIONIBUS exprimere ac imitari conemur ipſius myſteria. *Quidquid eſt in macrocoſmo*, inquiunt chimici, *illud etiam eſt in microcoſmo*; ſed convenientia hæc non eſt omninò abſoluta & ſimplex, ut ovum ovo ſimile; ſed ſecundùm analogiam & proportionem. Hinc commodiſſimè id explicari poteſt, ſi viſcerum actiones, & corporis ſtructuram, morborumque curationem, ſeu medicamentorum actionem mechanicè explicemus. Sic poſt, quam oculum exprimimus camerâ obſcurâ, ventriculum retortâ tubulatâ, cor horologii æquipondio, longè intimiùs in horum cognitionem progredimur. Sic poſt, quam circulationem ſanguinis mechanicè demonſtrat *Dn. D. Reiſelius*, concipere mirandum hoc opus magis ſcientificè poſſumus. Idem & ſceleton perfectum non fruſtrà promittit, quod vel loqui poſſit. Sic muſculorum actio, ad geometriæ leges vocata, meliùs longè cognoſcitur.

Mars an aperiat, an adſtringat, dubitatum fuit tamdiu, donec mechanicè per ſpiritûs acidos, quomodo ab eodem ſaturentur, & dulces fiant, miteſcantque, demonſtratum fuit. Tacemus opiata, & alia. Natura enim ubique ſibi ſimilis, & per ſe ipſam explicari vult ac cognoſci. Per nota ad ignota deducimur naturali demonſtratione.

Si nihil rectè ſine exemplo docetur aut diſcitur, teſte *Columellâ lib. 11. de re ruſt. cap. 1.* optimè ſanè talibus exemplis & docetur & diſcitur, quæ exactè quaſi repræſentant rem omnem.

Suggerit verò hæc amplo fœnore alma CHIMIA, quæ idcircò, ut ad florem perduxit medicinam, ſic eandem porrò illuſtrat; non quidem vulgaris illa; ſed ſelecta, ſobria ac ſana, quæ ad Vulcani examen vocat mixta, eorum centra reſerat, & in apricum ſiſtit, quidquid humanæ cognitioni erat impervium.

Sunt equidem & inter hos, qui philoſophorum titulo ſe jactant, & adeptorum; verùm parum ab horum ſcriptis, prout vulgò quidem proſtant, incrementi ſumſit ars medica: quò plures enim legas, eò minùs noveris; laudem in obſcuritate quærunt, &, ne intelligantur, quæ ajunt, negant; quæ volunt, nolunt; quæ decantant, ea omittenda innuunt. Linquamus ſanè illis intimiorem ſcientiam, quâ gaudeant, delectentur,

& aliis emineant, nudamq́ne ſine veſte Dianam amplectantur. Nihil ab illis acceſſit arti, quàm, quod forte an ipſis per accidens aliud quærendo obtigit, uti notum eſt, cinnabarin ex ſulphuris & mercurii combinatione, cùm aurum quæreretur, enatam.

Alii dantur, qui ſcire ſe aſſerunt rerum intima, & ab aliis negata tàm facilè eſſe conficere, quàm vulpes pirum comeſt, ſe eſſe poſſeſſores arcanorum; non opus verò eſſe ut id demonſtrent. Non merebuntur tales poſteritatis famam, qui habuiſſe ſe credi volunt, incertum, poſſidenté, an minùs, jactatos theſauros. Euclones hos deſpuet ſequens orbis, vel non credet.

Videmus hinc inde in libris, pomposè jactari proceſſus, arcana, ſacra Eleuſinia & quæ alia. Quidam venundant ſua ſecreta, ſive in libris verum exponant, ſive ipſis exhibeant ægris. Quilibet, verbo dicam, arcanum ſibi fingit, quod alios celat, &, ſi luci exponatur, caſſâ ſæpe non dignum eſt nuce.

Concedi tamen oportet, hinc inde latitare ejusmodi ſelecta & inventa, qualia ſunt humores oculorum reſtituere, ſuccinum liquare, condire cadavera, & alia plura, quæ non conſiſtunt in ficto proceſſu quodam; ſed experimento comprobata, etiam apud vulgus.

Eruamus hæc & in medium conferamus quilibet, quod ad artis ſplendorem facit. Mirum eſt, ipſos, qui incrementum artis promovere debebant, ſupprimere & ſecum mori pati, quod inſigne additamentum fœnerari poterat. Non ſic antiquâ illi virtute & fide agebant; ſed humanam gentem quilibet merebantur, neque enim haberemus hodiè quicquam, niſi liberali ab ipſis manu fuiſſet porrectum.

Ingratum eſt ſeculum, fateor, & maleferiati homines, qui, niſi quod ipſi faciunt, vel ſcribunt, nil rectum putant, & ſi quid in lucem edatur, bono publico inſerviturum, ſtatim ogganniunt, allatrant, & concerpunt inſontes chartas, in eo glorioſi, quòd ex alius gloriæ funere ſibi tropæum erigere ſatagunt. Peſſimus hic & deteſtandus mos eſt, qui incrementum artis, mirum quantum! remoratur. Sed cordati Philoſophi & Medici id non morantur, neque id magis curant, quàm ſi ipſos aſinus calcitrâſſet.

Auſim dicere, ſi decem haberemus Boyleos vel Neſtores, in aliis alios, qui conjuncto ſtudio in incrementum artis & ſcientiarum incumberent, brevi lucem prodituram clariorem.

Proh!

Digitized by Google

Proh! quanta, non dicam hoc ſeculo; ſed proximis viginti vel triginta annis, incrementa ſumſit medicina! In thronum evecta viſitur, quæ deſpicatui olim habebatur. Omnia jam ſplendidiùs emicant & manu palpantur, quæ rudia & indigeſta erant, imò occulta. At, quantum eſt, quod neſcimus! multa reſtant eruenda, inexhauſtus quippe fons eſt naturæ, profundiſſima arcanorum divinorum abyſſus.

Mittimus hic ſcepticos, quos ubivis, ut in proverbio eſt, reperire licet, qui de omnibus dubitant, nil credunt, mera paradoxa fingunt, & ipſi tamen nihil momenti conferunt ad incrementum.

Diximus de præcipuis incrementi artis mediis; plura tamen reſtant dicenda, ſi tempus id & locus hic permitteret; unicum adhuc, & omnium quidem maximè neceſſarium, tangemus.

Inanis & vana omnis praxi caſſa medicina eſt, unde vetus medicorum eſt opprobrium, nec illud quidem de nihilo: *In cathedrâ omnes morbos ſanari; ad lectum paucos.* Maximum, ajo, incrementum & omnium potiſſimum ergò parit praxis, non illa quidem empirica, non ſola dogmatica ſpeculativa, &, cœco ſæpe ductu, generali medendi methodo facta; ſed clinica, quæ ex obſervatione diutinâ ſingulis affectibus certiores præfigit cancellos, & filo quaſi Ariadnéo explicat, quid primo, quid ſecundo loco præſtandum ſit.

Videmus hodiè beneficio acûs nauticæ & factarum obſervationum vaſtum ſulcari mare, & utraſque Indias adiri tàm certo tramite, quàm ſi per terras iter faceremus. Eodem modo ſe res habebit in medicinâ, ſi non curramus quilibet viam ſibi bonam viſam; ſed, ſi quilibet obſervet modum, quomodo compendioſiùs, breviùs & citiùs ad finem perduci poſſit, longè præſentiùs hinc ægros curabimus.

Quilibet artifex & mechanicus illam ἐγχείρησιν quærit, quâ ſubtilius & melius effingat opus. Quidni artifex morborum idem fecerit? Id verò fit, ſi præſertim diſpenſare licet medicamenta, & certiora, quæ juvent; quæ minùs, experimenta capere, neque per confuſum trium ulnarum receptarum chaos ipſi ſepeliamus quaſi ſcientiam: ſi in chimicis ſtatuminemus, quæ eligenda ſint, quæ ſequenda, quæ certa, quod ipſum eſt in artis formam redigere aquas omnes, ſpiritûs, olea, ſalia, & ſelectiora producta alia, exauctoratis omnibus reliquis, quibus tot chartæ commaculan-

culantur: ſi denique, ut vela contrahamus, quisque Indorum more annotet, quod eximium, ſelectum, expertum, memoriâ dignum.

Facit hoc apud exteros *Societas Regia Anglicana, Gallica, Italica*, &c, quoad incrementum hoc ipſum artis medicæ nulli ſocietati ſecunda, noſtra *Germanica*, quæ ſub auſpicio ſacratiſſimi Imperatoris LEOPOLDI in *Academiâ naturæ curioſorum* continetur.

Utinam omnes Germani æquo conatu & ardore ſua conferant, neque potiùs, quod ipſorum cacoethes eſt, exterorum ſputa lingant. Tot illuſtria dantur apud nos ingenia, tot vegeta capita, quæ incrementum hoc promovere poſſent, ſi vellent; vellent, ſi liceret; liceret, ſi media ſuppeterent, & Mæcenates manum operi admoverent.

Sed video illos certatim conferre in medium, ut æternitatis memoriæ inſerantur, quæ ſeorſim detenta domi commorerentur. Voto hæc ergò claudimus, ut porrò omnes floreant, qui artis medicæ incrementum ex animo vovent, promovent, & cònferunt ſua. Vale *Lector*, & brevi *de compoſitione medicamentorum* commentarium, hinc & *Phyſiologiam medicam*, aliaque ad prælum penitus adparata à nobis, cum Bono Deo, expecta. Dab. Jen. 1678. d. 13. Febr.

Nomina Præſtantiſſimorum Philiatrorum, qui publicis Exercitiis certa quisque capita ventilarunt, ſunt ſequentia.

1. ANDREAS SCHEMBERGER, Poſonienſis Hung.
2. JUSTUS ANDREAS SCHMIDIUS, Müllhusâ Thuringus.
3. JOHANNES WILMERDING, Brunſvicenſis.
4. FRIDERICUS WILHELMUS CLAUDERUS, Altenburgenſis Miſnicus.
5. MICHAEL GODEFRIDUS ZIEGRA, Wittebergenſis.
6. AMBROSIUS REHME, Eiſenbergâ-Oſterlandus.
7. JOHANNES ULRICUS Röriсh / Lüchovienſis.

I.N.J.

Digitized by Google

I. N. J.

LIBRI PRIMI
SECTIO PRIMA.

CAPUT PRIMUM,

De

Simplicium medicamentorum facultatibus in genere, quoad principia agendi.

MEdicamenti vox licet latè & alimentis tribuatur, & de venenis prædicari poſſit, uti *Hippocrates* τὰ σιτία cibos nos alentes *Φάρμακα medicamenta* nominat, *l. de purgant. c. 1.* propriè tamen dicitur, quod juxta *Galenum lib. 1. de ſimpl. medic. fac. c. 1.* eſt *ἀλλοιωτικὸν τῆς Φύσεως, corpus noſtrum alterat*, & quidem in bonum, ſeu in melius.

Differunt itaque *alimenta*, *medicamenta*, & *venena*, 1. *ratione finis*; alimentorum & medicamentorum finis eſt bonus, neque malus effectus ſequitur, niſi ex accidente; venenorum verò malus, neque bonum effectum conſequuntur, niſi per accidens.

2. *Ratione ſubjecti*, ſeu corporis, in quod agunt; alimenta enim à corpore concoquuntur & aſſimilantur, medicamenta actuantur & ſuperantur, venena verò planè adverſa ſunt, & corpus ſuperant.

3. *Ratione actionis,* ſeu *qualitatum;* alimenta nutriunt, medicamenta alterant, venena corrumpunt & deſtruunt. Adeoque alimenta corpori ſunt ſimilia, medicamenta diverſa, venena contraria ſeu adverſa, & hanc ſuam contrarietatem, ut medicamenta alterationem ſeu ἀλλοίωσιν, internè & externè exſerunt.

Alimenta corpus in eodem ſtatu conſervant: alterant verò ex accidenti, ſi vel propriâ ſuâ naturâ, vel ratione caloris in quanto & quali peccent; unde *Plutarchus:* ἐκ τούτων νοσοῦμεν, οἷς καὶ ζῶμεν, *ex iis morimur & ægrotamus, ex quibus vivimus;* medicamenta per ſe, ex ſtatu pejori in meliorem.

Singula tamen hæc agendi ſuam vim omnem poſſident vel *actu*, quod de extrinſecis maximè ut calidis v. g. humidis valet, vel *potentiâ*, ſeu actu primo: in actum verò ſecundum deducuntur à calore noſtro innato, qui, quemadmodum ſe ad hæc vel illa medicamenta habet, ita etiam hoc vel illo modo dicuntur eadem agere. Hinc regulæ inſtar notandum:

Omnium medicamentorum, (par ratio in ſuo genere eſt alimentorum & venenorum,) *vires, qualitates & effectus menſurandi ſunt ex caloris nativi actuatione.* Hic ceu regula Lesbia eſt, ad quam omnia omninò ſunt referenda.

Dicitur in medendi methodo de medicamentorum & præſidiorum in genere modo adminiſtrandi, quænam indicentur, quibus danda, cur exhibenda, quomodo impendenda, quando propinanda. Hoc loco *de modo agendi & adminiſtratione ipſa* potiſſimum dicetur.

Tres hîc notandæ ſunt diſtinctiones, quæ de medicamentis prædicantur, prout ipſa variant. Eſt autem medicamentum 1. Ratione *mixturæ* vel *ſimplex*, vel *compoſitum.* 2. Reſpectu *præparationis, crudum* vel *præparatum.* 3. Ab *applicandi uſu, internum* vel *externum.*

Simplicia dicuntur, quæ ſeorſim exſtant, & ſibi relicta ſunt, prout ex fontibus ſuis, regno ſcilicet tricorpore, vegetabili, animali & minerali, quò & marina pertinent, ſunt eruta, & à benignâ naturâ ſuggeſta, nondum artificis manum experta, nec dum mixta, & quidem eâ cum latitudine, ut omnia ſub quolibe-

regno

regno comprehendantur, quæ ad illud pertinent, fungi, adnata, partes, &c. *Compoſita* audiunt, quæ artificiosè mixta ſunt.

Cruda dicuntur eadem, quæ ſimplicia, ſolùm reſpectu præparationis; *præparata* verò, quæ aptata ſunt uſui & mixturæ, ſive *ſimplicior* ſit hæc præparatio, ceu vulgò de pulveriſatione & triturâ dicitur, ſeu *ſelectior*, extractio, deſtillatio, &c.

Simplex & *præparatum* unum notant; *compoſitum* duo vel plura juncta. Quoad *applicationem*, alia ſolùm *interno* uſui, alia ſolùm *externo*, alia utrique inſerviunt.

Cùm vero alterare, (quod hoc loco & evacuationem ſub ſe complectitur, & eam alterationem, quæ & morbis conformationis & ſolutæ unitatis competit; aliàs verò illi contradiſtinguitur,) ſit qualitatis, & medicamenta hinc agant ſeu alterent ob has vel illas qualitates, de harum actione & cognitione laborandum eſt.

Hinc melioris diſtinctionis gratiâ conſiderabimus 1. *principia agendi medicamentorum*. 2. *principia cognoſcendi eadem*.

Principium agendi ſunt *qualitates*: quantitatis enim per ſe nulla eſt efficacia, neque ſubſtantia ipſa dicitur agere, niſi abuſivè & reſpectivè, ut illa dicantur totâ ſubſtantiâ agere, quæ ut ſic mixta & totâ οὐσίᾳ effectum hunc vel alium producunt, ut poſteà dicemus.

Qualitates itaque uſitatâ diſtinctione, (ut hæc à philoſophis mutuemur,) ſunt vel *manifeſtæ* vel *occultæ*. Manifeſtæ iterùm vel *primæ*, vel *ſecundæ*, vel *tertiæ*. Primæ ſunt vel *activæ* vel *paſſivæ*. Activæ ſunt, *calidum*, *frigidum*; paſſivæ, *humidum*, *ſiccum*.

Hîc ſubſiſtemus quaſi pauliſper, &, remoturi, quæ huic doctrinæ obſtant, ſequentia notabimus axiomata:

I. *Doctrina de qualitatibus & conſequenti temperie non eſt vilipendenda.* Utut enim *Paracelſus*, ejusque veſtigia premens *Helmontius*, falsè rideat has ipſas, & vocet relollaceas, quæ non procedant ex dotibus rerum ſeminalibus; Sed rebus ſaltim conſtitutis ceu modi materiales ſuperveniant, & nucleum craſeos, ex ſalinis principiis primariò deducendum, non attingant, unde & magnum apud recentiores quosdam temperiei hujus reperitur vili-

 pendi-

pendium: attamen, cùm partes corporis humani calido innato inſtructæ ſint ſubjectum medicinæ, impoſſibile eſt, ut ſolidè ſuccurrere iisdem poſſimus citra hanc cognitionem: optimum itaque fuerit ad ſolidam eruditionem hæc retinere, & rectè explicare. Mittimus h. l. quæſtionem, unde & à quo hæc qualitatum doctrina primùm ſit introducta, pertinet enim id potiùs ad cathedram philoſophicam, & progredimur.

II. *Dicuntur medicamenta calida, frigida, humida, ſicca, ſolo intuitu reſpectûs & effectûs quoad calidum noſtrum innatum.* Patet utrumque ſenſibus. Quamdiu homo vivit, calore actuali pollet, qui quidem modò remiſſior eſt, obtuſior, & flamma vitalis non ſui juris; modò gradu ſuperaddito exæſtuat. Alia itaque medicamenta videmus intendere calorem & partes ſanguinis volatiles oleoſas; alia deprimere; illa dicuntur calefacientia, hæc refrigerantia. Notetur verò

III. *Qualitates conſiderari vel in actu ſignato vel exercito,* ſeu, Calidum, Humidum, Frigidum, Siccum aliud eſſe *actu* tale, ipſis itidem ſenſibus teſtantibus, vel *potentiâ*, à poſteriori ſeu effectu quod pateſcit, quatenus ſcilicet à calore noſtro actuata illum immutandi vim poſſident, & reſultat ejusdem vel intenſio, vel remiſſio.

IV. *Qualitates primæ non tàm dicuntur reſpectu reliquarum, quod hæ ex illis oriantur, quàm reſpectu corporis,* quia primò afficiunt, primariæ ſunt, de reliquis teſtantur, earumque ſunt internuntiæ. Adeoque primæ ſunt in cognitione, ultimæ in actione, nam ex colore v. gr. odore, acredine, auſteritate, &c. colligimus, quomodo ſe mixtum hoc, illud, erga calorem noſtrum habeat. Primæ ſunt & dicuntur, quia notiores; ſecundæ & tertiæ, quæ ex his colliguntur.

V. *Qualitates primæ non ſunt conſiderandæ abſtractivè,* quaſi ſolam caliditatem, frigiditatem, humiditatem, ſiccitatem, inverſo ordine attendere ſuperſtitioſè deceat, *citra notionem mixturæ,* & qualitatum reliquarum, quæ hanc primam producunt; *ſed in concreto, collectivè cum reliquis,* quatenus diſpoſitum eſt hoc vel illo modo mixtum. Connotat nempe v. gr. calidum acre, oleo-

Digitized by Google

oleoſum, ſalſum; frigidum terreum, aqueum, acidum, adeoque & attenuans, incidens, adſtringens, &c.

VI. *Qualitates ergo ſpectandæ, cùm, quomodo ſe habeant ad ſe invicem, aliæq́ ex aliis reſultent, ac ſe mutuò ponant ac tollant, tùm reſpectu inprimis ad corpus noſtrum habito.* Uti enim proportionem & ſymmetriam quandam poſſident inter ſe, ita corpus aliter atque aliter inde afficitur. Hinc,

VII. Quod potiſſimum hujus loci eſt, *qualitates debent conſiderari ut indices & effectus*, quod & ordine jam penſitabimus ſecundùm ſeriem ipſarum.

In primis enim qualitatibus abſtractivè conſiderata caliditas, frigiditas, activa; humiditas, ſiccitas paſſiva, ſunt quaſi indices, ceu à philoſophis magis conſiderantur: effectus eſt alteratio, calefacere, refrigerare, humectare, ſiccare, & quidem vel univocus vel æquivocus. Hinc, quodcunque eſt actu calidum, calefacit; quodcunque eſt potentiâ calidum, acre, oleoſum, calefacit, ſeu intendit calorem noſtrum univocè, cauſa enim eſt index ſui effectûs, quodcunque humidum eſt & aqueum, illud ſerum auget, ſanguinem diluit, humectat. Non obſtat verò, effectu æquivoco quædam calida refrigerare, ut camphora, quatenus exhalationem promovet, nitroſa, quatenus ſulphur ſanguinis domant & obtundunt.

Alterant verò hæ qualitates, vel abſolutè & in genere, collatæ ad ſe invicem, quod enim calefaciendi vim poſſidet, id ubique id exſerit, ubi vis hæc non impeditur, adeoque meliſſa v. gr. quæ cephalica eſt & cordialis, calefacit etiam ſtomachum, hepar, ſanguinem &c. vel comparatè, reſpectu partium corporis noſtri harum vel illarum, quarum calido nativo magis competunt, vel eximiè, unde cum additamento hinc audiunt alterantia cephalica, ſtomachica, hepatica, & has vocare ſolent hinc occultas, ceu pluribus poſteà dicemus.

Quoad *ſecundas qualitates*, ad haſce alii alia referunt, unde & motus *Plempius lib. 2. fundam. med. cap. 3.* omnes qualitates tantùm bipertitur in primas & ſecundas. Nos verò vulgatam retinebimus & melius explicabimus doctrinam. Poſt calorem enim vel qualitates primas activas paſſivasvè occurrit ſenſibus

ipſa miſti compages, & particularum & pororum diſpoſitiones, unde ceu indices ſunt extrinſeca quædam, v. gr. raritas, denſitas, tenuitas; mollities, durities; aſperitas, lævitas, viſcoſitas; gravitas, levitas, ratione ſcilicet ponderis, contactûs, conſiſtentiæ: ceu effectus verò emollitio, inciſio, incraſſatio, rarefactio, rubefactio ab aſperitate. Quæcunque ergò indurant, adſtringunt, incraſſant, emolliunt, ſeu aliquod horum præſtant, dicuntur agere qualitatibus ſecundis.

Porrò quoad *tertias qualitates*, ut indices ſe offerunt colores, odores, ſapores, de quibus inferiùs dicemus, item ſonus juxta quoſdam, unde qui effectus eſt, tertiis qualitatibus agere dicuntur, reſolventia, diuretica, emmenagoga, ſarcotica, travmatica, ſudorifera, anthelminthica, &c. non neglectâ tamen priorum conſideratione.

Hinc verò cùm effectus non æquè omnes ad qualitates manifeſtas poſſint reduci, cùm v. gr. purgandi, vomitum movendi, lac augendi, venenis reſiſtendi in medicamentis vis non adeò pateat, præter has manifeſtas qualitates vulgò addiderunt etiam occultas, quas nonnulli quartas vel quintas nominare malunt. Adeoque quæſtio h. l. oritur, *quidnam ſint qualitates occultæ*, &: *an dentur?* Occultæ ſunt, quæ 1. non adeò obviæ ſunt, quarum vis non tàm promtè elici poteſt non v. gr. ex calore actuali vel potentiali, non ex materiæ raritate, denſitate, non ex colore, ſapore, niſi remotè & στοχαστικῶς magis, atque adeò 2. minùs à priori, reſpectu manifeſtarum, magis verò à poſteriori & ab effectu cognoſcibiles; earumque 3. vis à modò ſubſtantiæ, non quidem à qualitatibus his vel illis ſolis, non tamen citra harum comparationem deducenda eſt, unde à primarum & ſecundarum qualitatum, ſeu totius κράσεως, *mixtura* & proportione dependet, hinc vocantur remedia ſpecifica, poteſtate dotali, ut loquitur *Helmontius*, agentia. Imò quidam eò progrediuntur, ut dicant v. gr. opium ſomnum ciere, gialapium purgare, quòd altiſſimus id ita voluerit, & hi, dum vitant vitia, dum occultas qualitates admittere nolunt, in contrarium ruunt, & nihil aſſerendo, videri volunt qualitates occultas eliminâſſe.

Sed, quidquid ſit de termino, modò de re conſtet, bene eſt.

Suffi-

Digitized by Google

Sufficit, occultam hoc loco non ſumi craſſo modo, cujus nullæ omninò poſſint dari cauſæ, quo pacto reverà aſylum ſunt ignorantiæ; ſed ſolùm reſpectu priorum, v. gr. cùm ſentiam, opium urere fauces, pruritum ciere, & accenſum ardere, calidum eſſe colligere licet; quando gummoſitatem, vim emplaſticam & emollientem; quando amaritiem ſapore, vim incidentem eruere poſſum; ſed virtutem narcoticam non niſi ab effectu, quem tamen nec ad caliditatem, vel frigiditatem, vel glutinoſitatem ſed ad *κρᾶσιν* totius ſeu mixturam ut ſic referre cogor, non obſtante, quòd præcipuè juxta principia chimica tùm hæc, tùm aliæ omnes occultæ poſſint certæ cuidam cauſæ aſſignari.

Occultæ verò qualitates accipiuntur vel *latiùs*, vel *ſtrictiùs*. *Latè* pro *alterantibus ultrà primarum qualitatum ſphæram univerſaliter*, ut alexipharmaca & purgantia, ipſaque venena huc referuntur. *Strictiùs* pro *alterantibus ſpecificis ſeu particularibus*, & qualitate hoc vel illud viſcus, vel ipſius actionem in ſpecie, ſeu quaſi in particulari reſpiciente, ut cephalica, lac augentia. Ut autem verum fateamur, præſtat ab occulti nomine, cum ignotum infectat, abſtinere, & cauſas ſolicitè magis rimari.

CAPUT II.

De
Principiis cognoſcendi.

PRincipia cognoſcendi ſimplicium medicamentorum facultates, ratione partium mixti, temperiei, &c. alia ſunt I. *univerſalia* & quidem vel *à priori*, ſeu, prout ſunt inveſtigandæ, quod eſt *ratio*; vel *à poſteriori* ſeu, prout ſunt inveſtigata quorum effectus jam cognitus eſt, quod eſt *experientia*. Notandum tamen circa hæc, 1. rationem non ſemper præire; ſed ferè ſequi, adeoque ſæpe experientiam eſſe priorem. Quantum enim experientia in universâ medicinâ procedit, tantum ratio de ejus certitudine & operandi modo ſtatuit. 2. De experientiâ ſi conſtet, facilis inventu eſt ratio, non item, quæ ratione judicantur proficua, ſtatim reſpondent, unde experientia alia eſt *certa*, jam conſtans, probata, & indubitata, jam in facto & ſolida, v. gr. gialapium purgare; alia verò *incerta*, dubia, vel ſaltim probabilis, in fieri, v. gr. virtus

virtus gialapii alia, quæ adhuc ſit inveſtiganda, & hæc experientia, ſeu potiùs experimentum, dicitur ab *Hippocrate* σφαλερή, *difficilis, periculoſa*, 1. *aphor.* 1.3. Una tamen experientia plus facit, quàm centum rationes, ſcilicet in contrarium poſſent valere, adeoq́; regulanda ſunt utraque, una juxta aliam. 4. Non omnia neganda, quæ ab experientiâ fidem mutuantur, & ſcribuntur de medicamentis, non omnia affirmanda; ſed ſelectus eſt inſtituendus.

II. Principia *particularia* alia ſunt *extrinſeca*, alia *intrinſeca*, alia *media*, utraque vel *remota*, vel *proximiora*.

Extrinſeca, quæ cognitionem ſuggerunt, ſunt *color, ſignatura*, & medius quaſi *odor*, ac *ſubſtantiæ modus* ſeu *textura*, quæ cum omnibus ſimul conſideranda eſt.

A *colore* temperiei & virium dignotio procedit debiliter, probabiliter & particulariter, non univerſaliter. Utut enim color à 🜍re, explicato à ⊖e & ☿rio rectè deducatur, non tamen omnia colorata ſunt calida, quia alius tantùm *ſuperficiarius* & *fugax*, ut in violis, alius *immerſus particulis aqueis & diluentibus*, quæ, ſi præpolleant, aliam temperiem mixto fœnerantur. Colores, quà tales, præcipuè, ſi cum modo ſubſtantiæ conjunctim conſiderentur, nihilominùs ex parte teſtantur de temperie, conſignificant, adeoque, licèt primi incurrant in ſenſûs, ſtant tamen poſt principia, & remotè ſaltim cognitionem hanc facilitant vel adjuvant. Sic præcipuè flavus color de calore teſtatur, v. gr. in croco, curcumâ, gummi guttæ, rhabarbaro, chelidonio majore, cheiri, antheris, &c. cum aliis; in aliis verò omnibus id non ita valet: ſandalum rubrum, roſæ, violæ, grana kermes, alkekengi, &c. non ita calida ſunt.

Quoad *ſignaturas* dubium occurrit & quæſtio, an illæ de virtute ſimplicium teſtentur, aliis eas unicè admirantibus, aliis nauci habentibus.

Inuſſit, *ait B. Rolfincius epit. affect. l. 1. p. 1. c. 16. p. 64. & O. & M. l. 11. ſ. 3. c. 4. p. 922.* ſummus naturæ parens ſignaturas accipitres phyſiognomicas, iiſque quaſi characteres inſculpſit, ut occultarum virium eſſent notæ ac indices. Et inſigne hanc in rem *Polemonis* dictum eſt: σιγώντων μὲν ἐστιν ἀπόκρισις, λαλεῖ τοῖς σημείοις

Digitized by Google

σημείοις ἡ Φύσις, τὰς τρόπους ἑκάςου ἀνακαλύπτουσι: tacitam quandam reſponſionem prabet de ſingulis natura, dum loquitur ſignis, quibus virtutes uniuscujusque manifeſtet. Vid. *Kircherus vol.2. art.magnet. l.6. p.3. c.3. p.532.*

Hinc librum ſcripſit *de ſignaturis Crollius*, annexum *baſilica chimica*, & *Solenander* hanc in rem ſe ſcripſiſſe ait *commentarium de characteriſmo, ſ.5. conſ. 21. p. 502.* & de iisdem legi meretur *Claudius Deodatus Panthei hygiaſt l. 1. c. 11.*

Illa verò à ſignaturâ dicuntur agere, quæ analogiam quandam habent vel *cum membro affecto* ratione figuræ, ut folliculus pæoniæ, nux moſchata, capitis: aſarum renum: anacardia cordis: uvularia uvulæ: dentaria dentium: ſemen fraxini & gloſſopetra lingvæ: paronychia unguis: aëtites fœtûs in utero: in partibus humidis lapis hæmatites, jaſpis, carneolus colore ſuo referunt ſangvinem, unde commendantur in fluxibus ſangvinis quibuſcunque.

Vel *cum morbo, causâ morbificâ & ſymptomatibus,* v. gr. oſſea ſemina & lapides nucleorum, lapidoſa etiam alia, lapides cancrorum, lapis Judaicus, piſolithus, referunt conſiſtentiâ ſuâ & figurâ calculum. *Pungentia* & *ſpinoſa* referunt dolores, unde carduus benedictus, Mariæ, dentes apri, mandibulæ lucii piſcis, commendantur in pleuritide. Sic *tuberoſa*, ut radix ſcrophulariæ, chelidonii minoris, fabariæ, referunt hæmorrhoides, quibus exactè etiam medentur. Sic ratione coloris *flaveſcentia* jam memorata, quæ æmulantur bilem in corpus ſuffuſam, curant icterum.

Vel *cum lædente extrinſeco.* Sic radix doronici & echium æmulantur ſcorpionem, cujus ictibus opponuntur. Sic ſagittaria imitatur ſagittas, unde in telorum extractione commendatur. Sic lapis bufonites repræſentat bufones, &c.

Utut verò quidam contra hæc acriter diſputent, eaque omninò & penitùs rejiciant; modeſtius tamen paullò ſentire de ſignaturis his, conſultum eſt. Licet enim 1. non omnia, quæ caput repræſentant, ſint cephalica, nec id in omnibus abſolutè & cœco quaſi ductu infallibiliter procedat; licet 2. multa non tàm propter ſignaturam, quàm vel ex accidenti, vel ob alias mixti qua-

B lita-

litates prodeſſe certum ſit; attamen, quod 3. annotare lubet, negari nequit, multa hoc modo inventa eſſe remedia, ſeu ſignaturas haſce nos ad internæ virtutis cognitionem non rarò quaſi manu ducere, adeoque in cognitione medicamentorum ſimplicium facultatum non omninò negligenda eſſe emblemata hæc & characteres, quibus eadem natura ſignavit. 4. Externa tamen cum internis neceſſe eſt maritari: ſufficit, ſignaturas occaſionem quaſi ſuggerere, ut harum intuitu meditari nobis ſubeat de virtute hâc vel illâ ſpecificâ.

Pertinent huc & *à brutis ſuggeſta* quaſi & inventa *remedia*, ut punctio oculi in catarrhactâ à caprâ inventa ſcribitur, quæ ſtipite confixa in ſuffuſione viſum recuperavit, ut *Galenus* docet *initio iſagoges*. Sic canes vomiturientes ſeu χολεριῶντες canariam aſſumunt. Sic ab ibi clyſterum deducitur inventio: de his latiùs agit & videri poteſt *Salomon Albertus orat. de re herbar.* adeoque non rarò bruta hominum ſunt præceptores, ceu etiam feles procul dubio & nepetæ & valerianæ vires ophthalmicas inveſtigandi occaſionem dederunt, iis enim mirè delectantur.

Odores privativè nil equidem innuunt certi, cùm latitare poſſint, ut antimonium & ſulphur inodora ferè ſunt; ſalibus verò ſoluta vel accenſa facilè graviſſimum odorem de ſe ſpirant. Poſitivè verò ex odore multa poſſunt de ſimplicium naturâ elici, uti per axiomata quaſi deducemus.

1. *Quæcunque odorifera ſunt, ea, quà talia, calida ſunt.* Utut enim id contra Cardanum neget Scaliger, certum tamen eſt ab exhalatione 🜁reâ & quidem calidâ evehi & procedere odores, licèt aliæ particulæ mixti præpollentes denominationem largiantur, ut violæ ſunt frigidæ, odore tamen illo à 🜁re perfecto & calido. Non tamen ſequitur, ut jam diximus, quæ inodora ſunt, ea quoque frigida eſſe ſtatuenda.

2. *Quò intenſior odor mixti, eò intenſior calor, quò remiſſior, eò minor.*

3. *Si odor ſuperficietenus ſaltim inhæret*, ſeu ſuperficiem inveſtit, *temperatum*, vel ſaltim non adeò calidum *eſt mixtum*, exemplo violarum & roſarum: *ſin per totum remixtus & intimè diſperſus, caliditatis eſt ſignum*, ut in camphorâ, moſcho, ligno ſaſſafras.

4. Odo-

Digitized by Google

4. *Odores partium teſtantur de volatilitate*, modò aereâ, modò 🜍reâ & balſamicâ, minùs vel magis tali.

5. *Suaveolentia aromatica*, 🜍e 🝆oſo blando gaudentia, ſpiritus *vitales & animales reficiunt*, &, ut *Helmontius* loquitur, cum iisdem immediatum habent contactum; *fœtida verò archæo ingrata ſunt*, unde *illa* cordialia ſunt, & cephalica, nervos ſolantur; *hæc* verò, inprimis viroſa, & quæ à putredine talia, cordi inimica, ut hyoſcyamus, ſtercora &c.

6. *In fœminis verò contrarium valet ut plurimùm, quibus etiam hyſtericis vel roſa ſæpe eſt exoſa, fœtida verò grata ſunt*, & cum ſale volatili vel 🜍re minùs reſolubili juncta hyſtericas ſolantur.

7. *Fœtida cum ſalis volatilis eminentiâ putredini maximè reſiſtunt.*

8. *Urinoſa poros cerebri dilatant & excitant*, unde in affectibus comatoſis laudatiſſima ſunt.

9. *Gravi* verò *odore pollentia caput lædunt & opplent*. Vaporoſa quoque replent; ſed in legitimâ doſi, &, ſi modico polleant, ſopiunt, ſeu ſoporifera evadunt innoxia, ut opium, crocus.

10. *Quo ſulphur purius, eò coctius, & corpori acceptius, & ad vitam longam faciens*, & contrà.

11. Hinc 🜍*ea temperata demulcent, acrimoniam mitigant, acorem abſorbent, dolores figunt, capitis doloribus, nervorum irritationi, doloribus quibuscunque ſubveniunt*, ut ♁ina.

12. *Quæ cum* 🜍*re ſimul ſale pollent acriuſculo, ſtimulant & humores exagitant, motosq; ad extra propellunt:* ſi 🜍 & ſal magis volatile ſit, magis ἄνω, ſi magis fixum, κάτω, exemplo omnium ferè propriè dictorum emeticorum & purgantium.

13. *Reſinoſa omnia calida ſunt.*

14. *Omnia oleoſa, aromatica, balſamica, calida ſunt*, inprimis, quæ odorem in receſſu quemcunque habent, imò etiam, quæ eundem involutum geſtant.

15. *Mucilaginoſa* verò, *quæ citra ſaporem eminentem & citra odorem ſunt, magis ſunt temperata, & frigida*, ut ſemina quædam, emulſiones.

16. *Quæ odore & ſapore acri gaudent, antiſcorbutica ſunt*, cochlearia, naſturtium, &c. Inprimis verò, cùm aromatica gemino &

odore & ſapore gaudeant, porrò hinc tangemus eorundem virtutem. Aromatica ſcilicet calida ſunt, reſpectu calidi noſtri, tonum partium roborant, calorem inſtaurant, ſulphur ſangvinis ſeu partes oleoſas volatiles & motum intendunt, menſes movent, coctionem juvant, cruditates corrigunt, ſpiritus reficiunt, poros nervorum expediunt, pectus ab infarctu liberant, partum promovent, colicam & tormina ſedant, carminativa ſunt, Venerem cient, hypochondriacis ſolatio ſunt, & proſunt, ubi fixi magis ſunt humores. Variant tamen gradibus, & hæc ſingula expediunt ob ſal volatile oleoſum partibus terrenis ſiccis tonicis immixtum.

CAPUT III.

De
Cognoſcendis facultatibus in ſpecie ex ſapore.

INtrinſecum principium particulare dignoſcendarum facultatum ſimplicium eſt SAPOR.

A *ſapore* itaque porrò magis firmum, melius & ſolidum fundamentum temperiei & conſequenter virium petitur, tùm ſolo, tùm cum odoribus conjunctim, & modo ſubſtantiæ, conſiderato.

Saporum verò *tres claſſes* ſunt, *duæ extremæ*, qui frigidum vel calidum poſſident effectum, & *una media*, qui temperatè ſe gerunt.

Unum extremum comprehendit *amarum, acre ſalſum*. Omnia ſcilicet amara, acria, ſalſa, quoad ſaporem, ſunt calida, & ſimilem effectum univocè poſt ſe relinquunt, v. gr. abſinthium, piper, ſal, &c.

Alterum extremum continet *acidum, auſterum, acerbum*, quæ, ſi vehementer excedant, etiam ſubalternos alios vel homogeneos offerunt ſapores, auſterum ponticum, acerbum ſtypticum. Quæcunque itaque acida, auſtera, acerba ſunt ſapore, univoco effectu, & ad calidum noſtrum relata, ſunt frigida, ut acetum,

aceto-

Digitized by Google

acetoſa, uvæ immaturæ, tormentilla, qualia exempla latè poſſunt videri apud *Macaſium in promtuario materiæ medicæ.*

Medio modo ſe habent *dulcia,* quæ, ſi non ad alterum extremorum inclinent, & ſibi relicta, ſunt temperata. Notanda enim eſt horum quoque diſtinctio: alia ſunt *mediocriter dulcia,* quorum dulcedo temperata eſt copioſo humido, ut lac, vinum, paſſulæ, carnes animalium, &c. & hæc ſunt quidem temperatè calida, nihilominùs temperata etiam abſolutè dicuntur, quòd in eodem quaſi ſtatu conſervent corpus, & convenientiam habeant cum naturâ ſangvinis & carnis, ſvavia & blanda, unde canon ortus, & de his intelligendus: *dulcibus corpus nutriri,* i. e. ſvavibus, blandis, unde chylus etiam dulcis bonus eſt & optimus. *Eminenter* verò *dulcia* ſunt, quæ cum ſiccitate ſeu minori humore combinata ſunt, ut mel, ſaccharum, ſaccharum ♄ni, quæ validiora & calida magis.

Acria.

In ſpecie acria ſapore calida ſunt omnia, & ſub ſe comprehendunt ἀποφλεγματίζοντα, exedentia, urentia, veſicantia, ἐκ-συγκριτικά, ſeu attrahentia & ex alto evocantia, abſumunt enim viſcoſum ſangvinem, & coagulationem ♀ream ſabuloſam impediunt, urinam pellunt, & quædam ſudorem, ſangvinem rarefaciunt, bilem adaugent & vigorant, unde antiſcorbutica etiam talia ſunt.

Amara.

Denotant abundantiam ⊖is & ▽æ, calefaciunt, ubi notetur regula: *Quædam, quæ calefaciunt per ſe, per accidens refrigerant,* v. gr. camphora, ſpiritus vini, opium: *Quædam, quæ refrigerant per ſe,* ut aqua frigida, acetum, *per accidens calefaciunt.*

Porrò amara incidunt, roborant tamen ſimul, vermes necant, appetitum augent, quatenùs calorem & fermentum reſtituunt, hepar confortant, putredini reſiſtunt, febribus peſtilentialibus, quæ balſamica ſimul inprimis ſunt, & intermittentibus medentur: alia aperiunt, abſtergunt, hypochondriacis conveniunt.

Salsa.

Salſa, teſte *Macrobio,* findere & velut aperire meatus ſolent,

 inci-

incidunt, attenuant, aperiunt, & obſtructiones viſcerum tollunt, vi diureticâ & diaphoreticâ pollent, putredinem arcent, ſangvinem rarefaciunt, penetrant, Venerem cient, gangrænam curant.

ACIDA.

Et coagulant ſanguinem nimis tenuem, & grumeſcentem reſolvunt, ut alibi jam adduximus. Stomacho ſunt grata ſitim ſedant, bilem obtundunt, utero & nervoſis partibus, ut & melancholicis minùs amica, quatenùs & particulas habent contrarias partibus membranoſis, & humores magis figunt: penetrant valdè, unde in epithematibus & aliis locum habent. Notabile eſt, & acida, & lixiva, ſi per venas ſangvini infundantur, interimere hominem, illa coagulando, hæc ſanguinem nimis diſſolvendo.

AUSTERA & ACERBA.

Conſtringunt & ſtyptica ſunt, roborant ventriculum, ſiſtunt fluxiones alvi & ſanguinis, modò non ſimul ſint corroſiva.

TERREA.

Præcipitant, abſorbent, ſodam curant, reſolvunt, acidum temperant & refrenant, ſulphur deprimunt, & motus p. n. tollunt, ac infringunt, nimio verò uſu appetitum minuunt. [redacted]

DULCIA.

Mitigant, expectorant, leniunt, emolliunt, temperant, tuſſi & calculo debita, facilè tamen bileſcunt, & ad pediculorum proventum conferunt.

CAPUT. IV.

De

Temperie ſimplicium calidâ.

SEd dicendum jam eſt ex dictis, quænam jam vocentur temperata, calida frigidave, ut & de prioribus omnibus cò melius judicium, & de illorum temperie faciliùs ſententia ferri poſſit.

TEMPERATA *à priori* audiunt, in quibus qualitates activæ & paſſivæ ſe mutuò temperant, ſeu, quæ in neutro excedunt,

dunt, & principiis activis, ſale, ſulphure & mercurio non ita ſunt inſtructa, ut alterutrum horum eminenter prædominetur, ſed particulæ inter ſe ſunt commenſuratæ, ut exceſſus neutrius præ altero obſervari poſſit.

A poſteriori verò, quæ calorem noſtrum nativum neque intendunt, neque imminuunt, ſed blandè demulcent & conſervant, quamdiu intra terminos ſuæ mediocritatis permanent, & ſunt ferè alimentoſa adhuc, neque in eorum uſu ita excedi poteſt.

Gaudent verò hæc latitudine magnâ, ita, ut proprie illa dicantur temperata, quæ in primo gradu aliàs calida, frigida, humida, ſicca eſſe recenſentur. Indicium hujus eſt, quod nullum planè exceſſum ſapore, vel odore vel effectu poſt ſe relinquant, adeoq; quoad temperata nota: 1. Multa eſſe alimentoſa; 2. Conveniunt in calore leniendo; 3. Digerunt & paregorica ſunt; 4. Proſunt in aſperitate mitigandâ, tùm faucium, tùm quavis aliâ; 5. Inprimis in phthiſi & morbis calidis. 6. Roborant enim, & 7. Poros demulcent, adeoque & internè & externè temperata ſunt.

Utque eò meliùs omnia & ſolicitis quaſi unguiculis eruerentur, autores conſultò etiam ſolent attendere in qualitatibus 1. Gradus. Cùm enim & reſpectu mixtorum ad ſe invicem habito, alia magis inſtructa ſint aliis principiis activis, ſale, ſulphure, mercurio, (ab his enim potiſſimùm deducemus facultates mixtorum, ceu Galenici & Ariſtotelici ab elementis eaſdem magis arceſſunt,) & alia corpus magis alterent, ſive in activis ſive paſſivis qualitatibus: alia magis calefaciant, alia magis humectent, facilè colligere & concludere licet, concedendos eſſe gradus quoſdam, ceu diſcrimina & agendi terminos ac proportionem, quæ geometrica eſt, non arithmetica. Adeoque duo ſunt axiomata & poſtulata certa & indubitata: 1. mixta alterare corpus, 2. alterare magis vel minus, vel evidenter, vel debiliter, vel manifeſtiſſimè, inde quatuor gradus conſtituti ſunt, nam progreſſus in infinitum nec hoc loco datur. Præter gradûs C. F. H. S. primo, ſecundo, tertio & quarto gradu etiam

2. Mansiones graduum, ſeu ſubdiviſiones alias, & quaſi gradus graduum introduxerunt, v. gr. paſtinaca calida eſt primo gr.

manſ.

manſ. 2. quod licet rideant nonnulli, reverà tamen id in activis qualitatibus ſuccedit & neceſſarium eſt. Si enim verum eſt, uti eſt veriſſimum, magnam dari latitudinem horum, neque ſtrictis cancellis omnia poſſe includi, cur non liceat inveſtigaro hæc omnia penitiùs, ita tamen, ut latitudinem ipſam magis exprimamus quidem, non tamen confundamus hinc ingenia, non aliter, ac in aſtrologiâ gradus ſunt & minuta.

Manſiones ſtatuuntur tres, quatenùs vel remiſsè, vel intensè, vel medio modo qualitas excedit: alii utuntur eleganter terminis *principii*, *medii*, *finis*, v. gr. calidum tertio gradu, calefaciens in principio. Vid. *Macaſius p.6.* & *Schönbornius man. med. pract. ſub fin: m.*

Videbimus ergo porrò, quænam ſint in ſpecie calida, frigida, humida, ſicca, quoad primum, ſecundum, tertium, quartumque gradum.

CALIDA nempe medicamenta, per ſuprà dicta, ſunt, *à priori*, quorum *σύστασις* ita eſt comparata, ut principia activa, ſal, ſulphur, mercurius, inprimis verò ſulphur cum ſale volatili prærogativam quandam habeant, idque magis vel minùs, quod odore & ſapore inprimis pateſcit; reliqua verò paſſiva ſub dominio horum ſubdita ſint: & quidem *calida primo gradu* dicenda & æſtimanda ſunt, in quibus hæc dicta, ſal, ſulphur, mercurius, leniter, parciùs & moderatè eminent, vel, ſi adſunt, ſaltim ſuperficiariè, non intimè & penitùs diſperſa, vel non ſui juris; ſed particulis terreis & aqueis obtuſa. Principia enim activa, ſal, ſulphur, mercurius, temperiem hanc mixtis fœnerant; paſſiva verò, aqua & terra, modificant.

A poſteriori verò & effectu *calida primo gradu* ſunt & dicuntur, quæ alterant quidem calorem noſtrum; ſed citra notabilem energiam, ſenſim, obſcurè, vix ſenſibiliter.

Sic primo gradu calida ſunt tùm temperata pleraque jam dicta, tùm herbæ, radices, flores, ligna & alia mixta minùs odorata, ſapore non exceſſivo & notabili prædita, ſive ſint ſimul *emollientia*, ut ea, quæ humiditatem moderatam ſimul poſſident, ut mucilaginoſa, pinguia, ſive *digerentia*, ut reliqua.

Locum

Digitized by Google

locum habent in variis [illegible], leniter aperiunt, & ho[illegible] [illegible] emolliunt & temperant.

Quoad *saporem* calida hoc primo gradu ſunt *pinguia* [illegible], cum levi tamen veſtigio volatilitatis, quo etiam a non[illegible] [illegible] plantæ mercuriales, [illegible] mercurialis, parietaria [illegible]; *dulcia*, ut glycyrrhiza; [illegible], quæ [illegible] gemint volatile [illegible], ut [illegible] hepatica nobilis: *odorata* quæ ſaporem non habent [illegible], [illegible] flores filix, primulæ veris, &c.

Calida ſecundo gradu [illegible] ſeu mixtura ipſa, quæ gaudent ſulphure & ſale, volatili vel fixo magis eminenti; unde ſecundo gradu calida ſunt 1. *amara*, ut abſinthium, aloe, ariſtolochia, carduus benedictus, chamædrys, gratiola, &c. 2. *reſinoſa*, balſamica, [illegible], ſummitates pini, calendula, ſuccinum, [illegible], [illegible] vini, balſamum, gummi ammoniacum [illegible], [illegible] & purgantia [illegible] [illegible] [illegible] lana media, [illegible] [illegible] [illegible], cinnamomum, &c.

[illegible] calida ſecundo gradu ſunt, quæ manifeſte magis ſenſibiliter, [illegible], ipſo calore & ſapore, vel etiam [illegible], [illegible]; ſed citra moleſtiam, citra læſionem, [illegible] [illegible] manifeſta cum alteratione [illegible].

[illegible] locum habent, magis roborant, aperiunt, motus movent, abſtergunt, alterant, aliaque [illegible]. Sunt & balſamica, quæ ſanguinis vigorem conſervant [illegible] [illegible] longam faciunt.

[illegible], in quibus ſal volatile vel [illegible] ſulphuris acceſſione eminentius prædominantur [illegible] *ſalia volatilia* [illegible] [illegible], [illegible] etiam, ſeu plantarum [illegible] 3. [illegible] 4. [illegible] momordicum, piper, [illegible], caryophylli, macis &c.

[illegible] alterant manifeſte, ſenſibiliter, & quaſi cum [illegible], ut nec lingua eadem diutius perferre citra moleſtiam, nec corpus majori quantitate poſſit. Hinc quia hæc ſanguinem magis rarefaciunt, ſulphur ejus & ſal volatile

 inten

intendunt, humores ſtagnantes domant, cacheſiam tollunt, [illegible] diſcutiunt, poros nervorum aperiunt, adeoque in paralyſi conveniunt, antiſcorbutica ſunt, calculum [illegible], [illegible] tus debiles reficiunt & apoplecticos hyſtericosque [illegible].

Calida quarto gradu a priori ſunt, quibus id magis acre, cauſticum fere eſt, ſeu *volatile*, ut cepe, [illegible] ſeu *fixum*, ut mercurius ſublimatus; & ſulphuri ipſi licet præſenti prædominatur, unde talia ſunt 1. acerrima, 2. rubefacientia, 3. erodentia, & *putrefacientia*. Hinc præbent veſicatoria & cauſtica potentiſſima, exedentia fortius & corrumpentia.

A poſteriori autem calida ſunt *quarti gradus*, quæ maximæ ſunt activitatis, vehementiſſimæ operationis, & quaſi inſtantaneæ, nec ſine gravi læſione. Habent tamen & illa certas ſubmanſiones, longe enim potentius & citius operatur [illegible] quam cepæ, &c.

Subſiſtemus hic pauliſper, & diſquiremus, quemnam uſum hæc doctrina habeat, quæ nuda nomina ſimplicium, quæ calida ſint, quæ frigida, &c. hic recenſentur; videri enim id poſſit ſuperfluum, & ingenium in [illegible]. Sed utique uſum habet eximium. Cum enim medicamenta alterantia ad corpus alterandum habeant quandam relationem, opus utique eſt, ut exquiſite cognita ſint eadem, qua invicem gaudeant agendi & recipiendi poteſtate, quâ proportione: aliunde enim conſtat, & evictum eſt, non alterandum ſolum eſſe, ſed & [illegible] alterativum eſſe [illegible].

Hinc exhibet hæc recenſio 1. *[illegible]*, ut non tantum terminos ipſos & nomina quis diſcat, ſed & noſſe eadem intimius & inveſtigare; 2. *uſum*, ut alterare ſciat, & cum mediis uti alterat ad corpus ſanandum; 3. *miſcendi artem*, ut enim ſimilia ſimilibus gaudent [illegible], ita etiam in miſtione medicamentorum de quo [illegible].

CAPUT V.

De

Temperie frigidâ.

SEquuntur jam *frigida*, & poſt hæc qualitates paſſivæ.

Frigi-

Frigida ſpecie ſunt [illegible], in quibus particulæ volatiles, [illegible] acres, aromaticæ, [illegible] non inſunt, ſed principia activa, ſulphur & mercurius parcius inſunt vel ſubjugata: ſal vero [illegible], vel abeſt, vel [illegible], & particulis [illegible] [illegible] conſpicuum. [illegible] vero in quibus vel principia paſſiva, aqua & terra potiora reperiuntur, vel ſal acidum dicto modo ſe habens.

Oppoſita ſunt calidis frigida, etiam in affectibus: ſic v.gr. acida figunt [illegible] acria, & obtundunt oleoſa, & ſic porro.

Reſpective vero *frigida* ſunt, quæ ad calorem noſtrum relata eundem non inſtaurant; ſed effrenem demulcent & bilem refrenant.

Sic enim calida rarefaciunt ſanguinem ſpiculis acutis ſulphur [illegible] & ſal volatile acuunt, ſic frigida eundem concentrant, ſulphur [illegible] *deprimunt*, & ſal volatile figunt & coagulant.

[illegible] frigida [illegible] potiſſimum univocè talia, quæ v.gr. vel [illegible], ut 1. *aquea*, unde julebi, ſerum [illegible], [illegible] hordei, ſuccus betulæ, [illegible], & alii acidulæ, quæ primo gradu fere pleraque ſunt talia, & alia una humectantia, egregie refrigerant. Sic etiam omnia *mucilaginoſa & [illegible]* frigida ſunt, ut albumen ovi, tragacantha, cornu cervi, [illegible], cranium humanum, gelatinæ, radix althææ, gummi Arabicum, ſemina quatuor frigida majora, & minora, quæ oleoſitate quadam gaudent, ſed aquoſa & temperata. Vel ſulphur & ſal *volatile domant & infringunt*, ut 2. *acida*, ſuccus citri, acetoſa, berberes, & 3. *nitroſa*, parietaria, mercurialis, ſpinachia, atriplex, violaria. Vel [illegible] *ut præcipitantia*, ut 4. *terrea*, v.gr. plantæ, flores [illegible], partes animalium & mineralium hujuſmodi, [illegible] ut [illegible], quercus, & [illegible] terreæ propriè dictæ, ut bolus Armena, lac lunæ, terra Lemnia, ſigillata; lapides, ut [illegible], hyacinthus, ſapphirus, ſmaragdus, & naturæ quæ [illegible]. Vel *[illegible]*, ut 5. *auſtera, ſtyptica*, [illegible] quæ tertii gradus exempla ſunt, tormentilla, biſtorta, cortex granatorum, acacia, hypociſtis. Vel *[illegible]* plane, 6. *[illegible]*, quæ terreo & aqueo excrementitio, &

ſulphu-

ſulphure fœtido & impuro gaudent, atque [illegible] contrarium inducunt, cicuta, hyoſcyamus, ſtramonium, [illegible] venenoſa ſunt. Ut calida quarto gradu necant [illegible], ſic frigida eodem gradu [illegible] coagulando.

Æquivoce & [illegible] frigida ſunt, quæ vel [illegible] halitum [illegible] ſulphur [illegible], vel ſulphur volatile pollentia, & [illegible] calida [illegible] vel [illegible] fermentationem ac ebullitionem [illegible] ſtructiones [illegible].

[illegible] quod in morbis calidis [illegible] hube [illegible] [illegible]

[illegible] calida [illegible] refrigerant [illegible] [illegible] ex particulis aqueis [illegible]

[illegible] calida [illegible]

[illegible] humoribus [illegible]

[illegible] diſtinctio [illegible] calida [illegible] externum [illegible] ſpiritus [illegible].

[illegible] quæ ſulphur [illegible] ſale volatili, omnia intendunt calorem [illegible] ſulphure [illegible] acida, gaudent quidem particulis [illegible]

veró magis floriſ[illegible]. Intemperies enim calida præſupponit mag[illegible] totius vitium, ceu hinc notum eſt, febrim eſſe morbum univerſalem; frigida vero intemperies hujus vel illius viſceris particulari quoque vitio magis produci poteſt, unde calida [illegible] calidum innatum cujusvis viſceris & partis plus [illegible] poma citria, flores quattuor cordiales, [illegible] nymphæa, [illegible] lia, perlæ terræ, ſerum lactis, [illegible] acida [illegible] inter [illegible] temperantia frigida cephalica, cordialia, hepatica, ſtomachica, & ſic porro, quod [illegible] calidis.

Dubium hoc loco eſt de *amaris* quibusdam, quæ inter frigida referuntur, ut lactuca, cichorium, endivia, ſonchus, [illegible] [illegible], quorum exempla ſunt, qui neg[illegible] aſſertum [illegible] *[illegible]* in ſpecie id facit *Averrhoes*, [illegible] *[illegible]* Sed eadem eſt reſponſio, illa, quam ſupra de odoratis dedimus: nimirum, amaricantia quæ [illegible], omnia ſunt calida, [illegible] tamen nihilominus quandam [illegible], partim, quod amarities [illegible] humidis excedentibus ſubjungatur, partim, quod [illegible] ipſorum ſit æquivocus, v. gr. cichorium refertur inter refrigerantia hepatica, attamen id potius præſtat effectu illo, quo aperit obſtructiones, & bilem abſtergit, ſicut latius ibi diximus.

CAPUT VI.

De

Temperie humidâ & ſiccâ.

QUantum vero ad paſſivas qualitates, HUMIDUM & SICCUM attinet, notandum, quod merito ab activis [illegible] potiſſimus fit denominatio, unde, quæ calida ſunt eminenter, pleraque etiam ſunt ſicca, niſi ſubſtantialiter humida ſint, [illegible] de vino *Hofmann* eſt aſſertum, quod qualitative ſiccet, ſubſtantialiter humectet; quæ vero frigida ſunt eminenter, eâdem exceptione ſalvâ, pleraque etiam ſunt humida.

Re-

Repetemus hoc loco obiter hypotheſin noſtram alibi aliquoties adductam, *duos* eſſe *humores* [illegible], principem, *ſanguinem*, & miniſtrum, *ſerum*, quibus, ſi non abſtractive & more Philoſophorum loqui velimus, optime comprehendi poteſt calidum innatum, & humidum radicale; neque enim aliud calidum innatum eſt in corpore, quam ſanguis, neque aliud humidum radicale, quam ſerum, utraque ſcilicet qualitatibus & formis ſuis inſtructa: optime tamen dicuntur & retinentur termini calidi & humidi, abſtractive ſcilicet, ut dixi, loquendo, de quo in Parte Phyſiologica latius.

Ut itaque activæ qualitates, caliditas, & frigiditas, reſpiciunt & attendunt calidum innatum ſeu ſanguinem, ejuſdemque partes oleoſas, volatiles; ita humida & ſicca alterantia diſponunt ſerum, vel augendo vel imminuendo: *humida* ſcilicet ſunt, quæ ſerum conſervant, reſtaurant, augent; *ſicca*, quæ imminuunt, abſumunt, abſorbent. Neque [illegible], quædam eſſe humida actu, & tamen ſiccare, ob *prædominans* [illegible]; quædam ſicca actu, & tamen humectare, ob prædominans aqueum, ut gelatinæ, &c.

Valent hic eadem quoque, quæ de gradibus caloris diximus, & tamen notabile eſt, humida ſecundo gradu non dari, niſi quæ ſubſtantialiter talia ſic [illegible]; prædicantur enim eadem quoque tum de potentia talibus, quæ gaudent partibus aqueis, mucilaginoſis, tum de actu talibus, quæ ipſa quoque gradibus differunt: ita aqua ſimplex & deſtillata, ſerum lactis, decoctum hordei cum C. C. cerviſia, vinum, humectant; ſed diverſis gradibus. [illegible] tertio gradu humida cenſentur, ſi quos [illegible] ſcrupuloſus inveniet.

[illegible] ſunt, quæ particulis gaudent aqueis vel [illegible] debilius.

[illegible], quæ magis eminenter habent eaſdem. In genere vero [illegible], magis humectant, & quaſi ſubſtantialiter, quia [illegible]; minus vero *aqua*, quia citius. Hinc in arida [illegible] lingua ſiccitate ac fiſſuris [illegible] practicorum eſt, præſcribere mucilagines ſeminum cydoniorum, pſyllii,

cum

cum ſirupo violarum, &c. Item quæ pinguibus & oleoſis pal[illegible] partibus: hinc unguenta & linimenta [illegible] in ſua natura non damus. Sic etiam poma ſucculenta, vel [illegible] pulpoſa, carnoſa, humida ſunt. Sic etiam oleum amygdalarum dulcium [illegible], & juſcula avenacea [illegible] proficua. Sic [illegible] in ſqualido & arido corporis habitu, v. gr. in hecticis [illegible] atrophia partium, [illegible] pingui[illegible] bus, item mucilaginoſis ipſis, v. gr. [illegible] etiam gaudent mucilaginoſis [illegible] dum, & demulcentium in raucedine [illegible] [illegible]

[illegible] quæ [illegible] eſſe quarto gradu [illegible] humiditatem, aut ſiccitatem, [illegible]

Ubi vero frigida [illegible] ſub febribus debentur.

[illegible] quæ per [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] quæ emplaſticis [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] ex alumine [illegible] [illegible] [illegible] quam [illegible].

Concludimus hanc [illegible] ſimplicium medicamentorum facultatibus in genere, paucis quibuſdam monitis.

I. *M[illegible] eſt [illegible].* M[illegible] eſt, [illegible] quantum in hoc proceſſerit humana induſtria, quam [illegible] [illegible] providentia in [illegible] humani generis morbis. Certant in hoc, [illegible], natura & ars; illa in ſimplicium copia, & juvantium diverſitate infinita, hæc in [illegible] [illegible] & componendi ſagacitate & differentiis. Illa [illegible]

cogn[illegible]

cognoſcere eſt medici, ſed proh! quàm vaſtum hoc eſt chaos! quàm emergere citra cynoſuram difficile! Sciendum tamen, copioſiſſimam medicamentorum farraginem proſtare, & à naturâ ſuppeditari, non, ut omnibus æquè ſimul utamur; ſed ut ubique ad manus ſit remedium, nullibi defectus. Ergo

II. *Selectus medicamentorum accuratus eſt inſtituendus.* Præſtat pauca noſſe intimiùs, quàm multa confusè, paucis uti familiariter, omnia verò noſſe; res enim ſe habet hæc inſtar amicorum, magis æſtimamus unum vel alterum amicum, quàm centum notos, multi etiam amicitiam offerunt, pauci merentur: ita etiam curiosè ſelectum & expertum medicamentum reliquis omnibus præferendum eſt. Qui omnes habet amicos, neutrum habet: qui omnia novit, neutrum novit. Abſurdum dictu videtur, ſed veriſſimum eſt, & toto id contingit die, unde & hîc valet, in cathedrâ omnes ſanari morbos, ad lectum paucos, v. gr. Philiater omnia novit purgantia ſæpe; ad ægrum verò accedens, & præſcripturus purgans, ambigit ſæpe ſecum, utrum eligat, adeoque, dum omnia animo offert, de omnibus dubitat.

Solemus id etiam comparare ſilvæ, quærimus quaſi omnes arbores, &, dum omnes luſtramus, nullam ſeligimus; ſin ſelectas & notatas attendimus, utiles quippe, v. gr. ædibus fabricandis, facile eas cædere eſt. Hinc inculcandus omninò ſelectus. Optima quæque ſunt ſeligenda, ſive Galenica, ſive Chimica, inprimis evporiſta, & longo uſu comprobata, primò ſimplicia, hinc etiam compoſita. Vid. *præfat. de ſale volat. plantar. partis 1.* Adeoque

optime seligere nequit qui optima non in selligit, neq. si sciti qui potest quid quae sine experientia vel illius analogia. ?

III. *Dandum eſt aliquid experientiæ.* Empiria ſine ratione plus curat, quàm ratio ſine empiriâ, unde maximè in medicamentis patet, quòd ratio ſit poſterior, experientia prior. Licet ergo ratio ſępe non pateat, experientia tamen non ſtatim eſt neganda. Scepticos ubique reperiri poſſe, tritum eſt dictum; ſed ingeniorum confuſio dubitationem preſſo ſubſequitur pede. Experientiâ ergo probata vel ut plurimùm, vel ſaltim aliquoties, & præ aliis, maximè notanda.

LIBRI PRIMI

SECTIO SECUNDA,

Caput Primum,

De

Emollientium materiâ uſuque.

Onſiderabimus facultates medicamentorum ſimplicium jam in ſpecie, & quidem præfixo hoc ad praxin uſu, ut dicamus præcipuè 1. de *modo agendi*, 2. de *materiâ medicâ* ipsâ, licet ſparſim magis, cum pleni de hâc extent alii plures libri; quid enim attinet illa denuò compilare & novis chartis repetere, quæ abunde licet apud alios jam invenire? 3. de *modo adhibendi* eadem utiliter.

Quoad agendi igitur modum dicendum eſt, *quænam ſint & dicantur emollientia?*

Dicuntur μαλακτικὰ ſeu *emollientia* à *fine* & *uſu*, quæ id, quod vel durum eſt, vel tenſum, vel ſiccum & concretum, emolliunt, laxant, fluxileque reddunt, adeoque licet eximiè proſint illi, quod concretum eſt; attamen latiùs patent.

Unde affinia ſunt emollientibus, & ſub eodem titulo non injuſtè memoranda, *maturantia*, ſeu *ſuppurantia*, & *digerentia*, ac *laxantia*, quæ quaſi ſunt ſpecies emollitionis ipſius.

Indicans emollitionis ergò per jam dicta ſunt in genere latè ſumtâ voce, I. *dura*, in ſpecie *ſicca*, id eſt, quæ ab humore deficiente talia evasêre, quod autores communiter vocant *durum ex ſiccitate*, ut calli, clavi, feces alvi induratæ, in colicâ, paſſione iliacâ, partes ſqualidæ & atrophiâ laborantes.

Notandum verò, intelligenda hoc loco propriè ſicca 1. *moderatè talia*, ſive ſint cum concretione, ſive ſine illâ: Sic os & calculi propriè loquendo non dicuntur emolliri, licet in gibbi principio emollientia ſæpe utiliter adhibeantur.

2. Debetur hæc ſiccitas tùm viis, tùm poris, tùm ipſi materiato, ſubſtantię humidę vel ſolidæ, ut ex ſequentibus magis patebit.

Hinc conveniunt emollientia in dictis caſibus, v. gr. clavi pedum optimè tolluntur emollientibus: obſtructio alvi & conſe-

quen-

quentia tormina optimè cedunt iisdem: partus facilitatur balneis, & ſi difficilis ſit, ob vias ſqualidas, optimè juvatur lubricantibus; calculi exitus balneis etiam & unguentis commodè promovetur. Cutis melancholicorum dura ſeu ſqualida, & atrophiâ laborantium, laxatur feliciter balneis, &c.

Porrò II. emollitionem expoſcunt *tenſa*, quando fibræ partium tenſæ laxari deſiderant, quod occurrit v. gr. in inflammationibus, ut furunculis, tumoribus, potiſſimùm ſanguineis, doloribus, herniis, apoſtematibus, quod vocant autores *durum ex repletione* ſeu *plenitudine*.

Hinc emollientia locum habent in tumoribus per *ῥευματισμὸν & affluxum* humorum ſubitaneum, præcipuè à ſero & ſanguine oriundis, v. gr. glandularum & apoſtematum: hinc adhibentur in tumore tonſillarum, glandularum in inguine, ponè aures, &c. ſive, ut ablatâ tenſione in vaſa remeet & diſcedat materia, adeoque tumor diſſipetur, quo caſu, verbis *Galeni l. 5. de ſimpl. med. fac. c. 7.* quod congelatum eſt, fundunt, & ſenſim per halitum digerunt: Sive, ut, quæ impacta fortiùs eſt, ſuppuretur. Sic tumor etiam mammarum à lactis diſtendentis copiâ optimè cedit emollientibus, v. gr. emplaſtro diachylon, de ſpermate ceti Mynſ. &c. quin ſi cedere nolit, nec diſcuti, iiſdem paullò auctis & mutatis ad ſuppurationem deduci tumor poteſt, v. gr. ſi farina ſem. lini cum melle oleoque ſubacta & emplaſtrata imponatur: quod ipſum etiam remedium vulgatiſſimum eſt in tumore inguinum & aliis.

Sic in doloribus nephriticis, pleuriticis, imò ipſis etiam podagricis conveniunt emollientia; adhibitâ tantùm diſtinctione, quæ quibus applicari vel poſſint, vel debeant, quæ verò minùs; blandâ enim ſuâ vi poros demulcent, & ſenſum triſtem mitigant, uſumque in doloribus à diſtenſione ſedandis habent nobiliſſimum, unde & apud *Hippocratem τὰ ἀλγήματα μαλάσσεσθαι dolores emolliri*, pro remittere, dicuntur.

Sic & in dentitione ad faciliorem eruptionem dentium conveniunt. Sic in herniis prolapſa in ſcrotum inteſtina fotibus & linimentis optimè in locum priſtinum, abdomen, redigi queunt,

quâ ratione aliquoties hernias jamjam incarceratas ferè, & ileum minantes, reſtituimus.

Sic in abſceſſibus rumpendis unicè proſunt emollientia, quæ aucto paullò caloris gradu per emplaſtica, ſeu poros obviſcantia, ſuppurantia magis audiunt.

Denique III. indicant emollientia talismodi etiam *tartarea, coagulata*, quod autores, v. gr. *Fernelius*, *Pernumia*, *Heurnius*, &c. vocant *durum ex concretione*, ſeu congelatione vel coagulatione, quæ ſcilicet ex pituitoſis & craſſis lentisque humoribus prognata ſunt, non item ab humore atrabilario, ut cancroſa.

Hujus rei exemplum præbent ſcirrhi, v. gr. lienis vel hepatis, item tophi podagricorum, & tumores per *συναθροισμὸν* collecti, ut atheromata, meliscerides, ſcrophulæ etiam ipſæ ac ſtrumæ.

Juxta hæc itaque indicantia moderandum etiam eſt indicatum, quod ſunt ſimplicia & compoſita medicamenta omnis generis, & quidem in genere moderatè CALIDA & HUMIDA. *Humida* quidem, ne diſſipetur per poros; ſed corrigatur ſiccitas, laxetur tenſum, diluatur concretum. *Calida* verò, ut contemperetur una materia, & quaſi coquatur, vel ſaltim roboretur calor nativus, & ut humor eò melius penetret. Uti enim frigus indurat, ita calor auctior diſcutit. Idque primo potiſſimum & ſecundo gradu.

Notabimus hîc, ut modò quoque monuimus, non differre ab his emollientibus *ſuppurantia* ratione *efficientis proximi*, quod utrobique eſt calor nativus, neque ratione *adjuvantis*, quod ſunt medicamenta, quæ omninò conveniunt, ut ovum ovo: ſed potiſſimum ratione *materiæ* ipſius & *ſubjecti*: quæ enim à ſiccitate indicant emollientia, quæ item à tartareâ concretione, non facilè ad ſuppurationem perducuntur, id quod ſaltim in pauciſſimis valet & rariſſimè; ſed, quæ à tenſione dura ſunt, ad utrumque ſunt diſpoſita, & inter hæc potiſſimum quædam, v. gr. inflammationes ad ſuppurationem & abſceſſum perduci geſtiunt.

Utut verò *Galenus lib. 5. de ſimpl. med. facult. cap. 8.* emollientia in hoc à pus moventibus differre ſcribat, quod emollientia ſint cali-

calidiora & ſicciora; hæc verò calorem quidem corporibus ſimilem fœnerent, humiditatem tamen in eis exſiſtentem ſervent; attamen id univerſaliter non concludit, ſed, uti diximus, id omne à materiæ diſpoſitione & ſequacitate dependet.

Suppurantia hinc magis ſunt emplaſtica, quando ſcilicet digeri & diſſlari materia renuit, ut aucto hoc modo calore coquatur, ſeu *πεπασμὸν* acquirat, ſtatum naturali quidem non ſimilem, tamen convenientiorem.

Idem valet & de digeſtivis, quod enim ſuppurantia ſunt ante maturationem aliquam & aperturam abſceſſus, id ſunt digeſtiva poſt illa ipſa, quæ nempe ſuppurationem continuant, in ulceribus & vulneribus promovent, adeoque unâ, quod ajunt, fideliâ duos dealbabimus parietes, ſeu hæc ſub illis comprehendemus. Neque enim opus fuerit, illa divellere, & ſeorſim tractare, quæ in praxi ad unum eundemque ſcopum collimant.

Hinc in genere certum eſt, & ex his efficitur, 1 Emollientia, maturantia & digeſtiva adjuvare naturam, corrigendo vi contrariorum exceſſum vel defectum. 2. Uti verò univerſaliter medicamenta debent eſſe proportionata calori naturali partis affectæ, tùm internè, tùm externè, ita etiam idem valet de emollientibus maturantibusque, quæ gradibus & agendi modo determinato discriminantur, quod ex ipſorum conſideratione magis patebit.

Sunt enim emollientia *1. tepida*, illa enim blando calore & humore apprimè gaudent, unde etiam quoad applicationem ipſorummet præſtat adhibere calida humida actu, vel tepida, i. e. in quibus calor & humor ſunt moderata, hic verò illum præcellit; ita emolliunt ipſa aqua calida, balnea, clyſteres, fotus, inprimis ex lacte, &c.

2. *Mucilaginoſa*, radix althææ, tragacantha, farina lini, fœni Græci, emplaſtrum diachylon ſimplex & compoſitum, ſeu è mucilaginibus: illa enim, ut ſuprà innuimus, ſunt eminentiùs humida, ſeu cum majori *ἐνεργείᾳ* illam efficaciam partibus conciliant, & calorem ſimul humiditati huic quaſi immergunt, ut fortiùs agere poſſit.

3. *Emplaſtica*, ut mel, chamæmelum, terebinthina, cera, &c. quod in emplaſtris omnibus huic fini debitis valet, ut in empl.

de meliloto, &c. quæ ipſa ſuppurationem non promovent, niſi apta ad id ſit & inclinet materia.

4. *Pinguia* & *oleoſa*, tùm *magis humida*, ut lac, oleum lini, amygd. dulc. chamæm. Rom. lumbric. hyoſcyami; tùm *minus*, ut butyrum, adeps item omnis, præſertim recens, & pinguedo gallinæ, leporis. Habent hoc chirurgi pro arcano in abſceſſu rumpendo & aperiendo, ut axungiam hanc, ſi ſignum adſit ſuppurationis, bono cum effectu applicent: item *ſulphurea mitiora*, ut crocus.

His omnibus ſtimulum quaſi addunt 5. *ſalina*, aqueis vel pinguibus immerſa, unde plantæ emollientes ferè omnes gaudent partibus nitroſis, abſtergentibus, eoque ipſo magis ſe commendant.

Omnia adeò hæc, quà emollientia, gaudent humore quodam magis vel minùs implicito.

Verùm gradibus differunt omninò: cùm enim diverſa ſint indicantia, variare etiam oportet indicata. Ut enim hâc in parte ſequamur *Fernelium, lib. 6. meth. med. cap. 6.* ubi elegantiſſimè de emollientibus hiſce agit: In quibus præpollet humiditas præ caliditate, illa mitiſſimè, & quaſi primo gradu emolliunt, & debentur duris ex ſiccitate, ut herbæ emollientes, oleum ſimplex.

In quibus verò calor moderatè ſuperat humiditatem, ſive quæ paullò calidiora ſunt & tenuia, magis jam emolliunt, & quaſi ſecundo gradu, quin rarefaciunt ſimul. Sunt enim hæc ſimilia calori partis temperato, & hæc κατ' ἐξοχὴν dicuntur, & propriè, *pus moventia*. Vocat ea aliàs *Galenus* χαλαστικὰ, ſeu *relaxantia*, quæ attenuant, ſeu relaxant & aperiunt illam tenſionem, calida ſcilicet & ſicca primo, vel etiam principio ſecundi gradus, v. gr. chamæmelum, caricæ, adeps ſuillus, lilium, &c. Et hæc debentur tenſioni, & pleraque ſimul ſunt paregorica, quæ ipſa quoque ſub hâc claſſe contineri queunt.

Quæ verò adhuc calidiora & tenuiora ſunt, ſecundo v. gr. vel tertio gradu, ſicciora, quàm humida, illa & emolliunt & reſolvunt ſimul. Tertia enim claſſis tumorum durorum, frigidorum, uno verbo, concretorum, ubi ſiccitas eſt gravior, requirit non ſolùm emollientia, (quippe debiliora,) ſed & reſolventia,

Digitized by Google

tia, acida, acria, quaſi ſtimuli loco, & incidentia ſimul, quæ addenda vel interpolanda ſunt emollientibus, inde enim fortius operantur, qualia v. gr. ſunt gummata, ut gummi Ammoniacum, ſtyrax, galbanum, bdellium, præcipuè recentiora, quæ in ſcirrhis &c. conveniunt.

Notandum etiam, *tumores* alios eſſe *calidos*, qui indicant modicè calefacientia & humectantia, primi vel ſecundi ordinis: alios *frigidos*, qui & tardiùs maturantur, ſi maturari poſſint, & ſæpe non tam in pus ipſum laudabile, quàm materiam puri analogam mutari queunt, & hi indicant medicamenta calidiora.

Patet hinc, *uſum* emollientium eſſe vel *internum*, vel *externum*: *internus* ubi abſtergendum eſt, minus, *externus* magis uſualis. Quæ enim pro interno ſimili effectu adhibentur, magis lenientia, lubricantia, vel reſolventia audiunt. Neque etiam pro internis abſceſſibus tàm ſola emollientia dare licet æquè, quam reſolventia. Sic olei amygdalorum dulcium virtus in variis apoſtematibus, in pleuritide, in colicis & nephriticis doloribus & aliàs laudatiſſima eſt. Externus verò vel emolliendi, vel ſuppurandi, vel digerendi, vel reſolvendi & emolliendi ſine ſimul frequens eſt.

Quoad MODUM ADHIBENDI & *formam remediorum* externam, quâ emollientia adhibentur, potiſſima ſunt *cataplaſmata*, *linimenta*, *unguenta*, *emplaſtra*, *fotus* cum lacte v. gr. *balnea*, &c.

Pertinent huc quoque clyſteres, quorum materia quaſi prima & communis ſunt emollientia, & ſpeciatim ubi feces ſunt induratæ, cum vel ſine aliis, carminativis, digerentibus, paregoricis, de quo ſuo loco.

Inprimis verò emplaſtra & cataplaſmata emollientia conveniunt; in rebellibus tamen ferè plus efficimus emplaſtris, quàm cataplaſmatibus, quæ facile frigeſiunt, & hinc materiam ſæpè repellunt. Et hæc magis ferè præ reliquis ad maturationem, reliqua magis ad diſcuſſionem materiæ adhibentur. Cataplaſma tale facilè fieri poteſt, ex radicibus *althææ*, *lilior. albor*, *herbis 5. emollientibus*, *floribus malvæ arbor. chamam. melil.*

fari-

farinâ ſem. lini, fœni Græci, caric. pingu. &c. in ſ. q. *lact.* ad putrilag. coctis & applicatis calidè bis vel ter de die.

Reſtat, ut, ubi minùs conveniant emollientia, ſeu cautelas, addamus.

Cavendum 1. in genere eſt, in molliendo, ne exſiccando induremus; ſed proportionata addamus ſingulis indicantibus indicata ſeu medicamenta.

2. Emollientia & ſuppurantia quidem ipſi parti affectæ debentur, non negligendum tamen ſimul eſt totum, ſive purgationem efflagitet, ſive per ſudorifera aliaque media alterationem.

3. In ſpecie non conveniunt emollientia tumoribus atrabilariis, qui acrimoniâ gaudent ſalinâ, inſtar ☿ti, unde aureum monitum eſt *Galeni l. c. l. 5. de ſimpl. med. facult. cap. 9. cancrum* & *cancroſos tumores ab emollientibus medicinis exaſperari*, magis enim hoc modo dilatantur pori, ut & affluxus humorum procuretur, & acrimonia corroſiva latiùs expandatur, cùm neque diſſlari queat, neque coqui, ſeu ad πεπασμὸν deduci, adeoque tunc putredinis auctrix eſt & parens mollificatio. Elegans hanc in rem, ſed triſte, exemplum videri poteſt apud *Wierum in obſ. p. 95. ſeq.* & alia videas non raro tumorum genera, quæ occulta, ſeu non aperta leviora erant, ab adhibitis verò emollientibus pinguibus exacerbantur mirum quantum, & occultum virus in apricum hinc eructant.

4. In mammillarum fiſſuris vitanda eſſe emollientia & laxantia, ut ſummè noxia, annotat *Rhodius analect. p. 6. 7.* humidiores enim papillæ ſunt naturâ, ideoque leniter potiùs exſiccantia requirunt fiſſæ.

5. In pulmonum affectibus externè etiam cautiùs mercandum eſt cum emollientibus, ne tonum laxemus, & aptiores eosdem reddamus, ad recipiendam fluxionem.

6. Ubi materia tenuis eſt, ſubtilis, & diſſlari apta, ibi emollientia, potiſſimùm emplaſtica, poros occludentia non conducunt, ut in eryſipelate.

Libri I.

Digitized by Google

LIBRI PRIMI

SECTIO SECUNDA.

CAPUT II.

De

Adſtringentibus.

MAgna adſtringentium eſt latitudo, uſus maximus. Comprehenduntur enim ſub eâdem claſſe, *indurantia, incraſſantia, adſtringentia, occludentia*, quin & *abſorbentia* ipſa, & *repellentia*, *defendentiaq́*; huc referri queunt, quorum omnium oppoſita ſunt rarefacientia.

Differunt tamen inter ſe hæc ipſa gradibus, præcipuè verò indurantia magis reſpiciunt poros, propriè loquendo; incraſſantia verò humores: adſtringentia medio quaſi loco poſita ſunt.

Et indurantia quidem omninò eadem ſunt cum repellentibus, & cum iisdem viribus conveniunt, unde ſub eorundem claſſe eadem hæc comprehendere conſultum fuerit.

Adſtringentia verò communiter aliàs dicuntur ϛυπτικὰ, item ϛεγνωτικὰ, unde tincturæ ſtypticæ, pulveres ſtyptici, ſtegnotici in uſu ſunt.

Quoad MODUM AGENDI, in genere adſtringentia craſſioribus partibus conſtant, & acceſſione vel permiſtione ac prædominio harum humores fluxiles & feroces figunt, eosq́ quaſi in motu impediunt, ſeu, ut methodicorum utamur terminis, quicquid laxum eſt, adſtringunt.

Indicans ſcilicet adſtrictionis univerſale & commune eſt *laxitas partium ſolidarum* καθ' ἐξοχὴν, hinc & *humidarum*: ſeu in ſpecie 1. *laxitas parietum*. Hinc conveniunt adſtringentia in roborandis viſceribus, ſeu laxitate viſcerum, ventriculi, hepatis, &c. Si enim quæratur, in quonam conſiſtat imbecillitas v. gr. ventriculi, vel alterius cujusdam membri? præter caloris debilitatem, reſpondendum eſt, præcipuè in ſubſtantiæ tenuitate, quod *Galenus l. de diff. morb, c. 5.* vocat *immoderationem meatuum*. Hinc tonica

Digitized by Google

dicuntur, & ſunt, ſeu, tonum viſcerum roborant, v. gr. ſtomachica, hepatica, (hæc enim viſcera inprimis deſiderant robur parietum & adſtrictoria,) hinc & cephalica, &c. roborantia optima ſunt illa, quæ præter convenientiam cum calido innato horum viſcerum, etiam reſpiciunt laxitatem & firmitatem parietum.

Sic conveniunt adſtringentia quoque ad conſiſtentiam ſanguinis moderandam & putredini reſiſtendum: hinc plurima adſtringentia etiam ſunt alexipharmaca. Videtur enim eſſentia morborum malignorum, inprimis peſtis, conſiſtere in reſolutione ſanguinis, quando σύςασις ejus ita pervertitur, ut ſufficere actionibus vitalibus non poſſit, ſed ſerum & ſanguis divellantur; qualia ſunt tum acida, tum mucilaginoſa præcipitantia, tùm balſamica diaphoretica.

Sic locum habent in laxitate gingivarum, dentiumque mobilitate, imò & dolore. Obſervatione enim practicorum conſtat, adſtringentibus talis modi v. gr. in gargariſmo adhibitis roborari dentes & adfluxum humorum arceri, ac conſequenter dolorem præcaveri. Sic thermæ Onoſæ tumoribus laxis pedum ſcorbuticis ex uſu ſunt. Sic conveniunt eadem in procidentiâ uteri, inteſtini recti, oculi. Sic præcavent illa ipſa etiam abortum. Sic vitiis figuræ proſunt, luxationi, gibboſitati, aliisque. Sic curant incontinentiam urinæ, & mingentibus in lectum auxilium ferunt; ſtatuminant enim vincula, firmant muſculos, roborant partes.

2. *Raritas pororum.* Sic adſtringentia apprimè conveniunt externè in ſudore nimio, etiam cruento, tùm indurantia & conſtipantia, tùm obſtruentia poros, oleoſa. Sic in hirco alarum curando maximè laudabilia ſunt, quale exemplum exſtat apud *Riverium in obſerv.* item in fœtore pedum. In hæmoptyſi quoque à diapedeſi, ſiqua datur, conveniunt. Sic in hecticâ etiam & phthiſi conſultò in praxi præſcribuntur olea frigida pro inunctione dorſi, emplaſtrum item de ſpermate ranarum ex *Petri Aponenſis* conſilio, & alia, ut nempe diſſlatio humorum etiam utilium & atrophia corporis impediatur. Hinc rectè dicit *Meſue*

lib.

Digitized by Google

lib.1. theorem.1. p. 8. Adſtringens intrò cogit, denſat, repellit, diviſa glutinat, ſuâque craſſâ ſubſtantiâ acria, ſalſa, amara omnia obtundit.

3. *Mobilitas humorum.* Hinc utilia ſunt eadem in ſudore nimio internè, cogunt enim, concentrant & conſtringunt ſanguinem nimis rarefactum, nimis mobilem & efferatum, quo caſu laudari poteſt pro experimento tinctura antiphthiſica vulgò dicta ex ⊖lo ♂tis & ſaccharo ♄ni, quam eo in caſu fidiſſimam experti ſumus. Hinc bilis efferationibus & motibus p. n. conferunt, eandemque coercent, v. gr. choleræ, diarrhœæ, dyſenteriæ unicè debita, hypercatharſin etiam curant, vomitus & gonorrhœam ſiſtunt, tùm ſimplicem, & pollutionem nocturnam, tùm virulentam, partes ab humorum influxu, à dolore & pulſione aucto, defendunt. Quin ipſa acrimoniam humorum irritantium oppugnant, acorem præcipitant, vim abſorbent & mitigant, unde tùm in his, tùm in fluore albo quoque conducunt.

4. *Utrorumque gravior ſtatus*, ſeu *ſoluta unitas membranarum & vaſorum*, eroſio, ruptio, hiatus. Sic uſum habent eximium in intertrigine, fiſſuris labiorum & mammillarum: exulcerationem renum inteſtinorumque, licet non omiſſis abſtergentibus, tollunt.

5. *Conſequens eruptio humorum, ſanguinis, & ſeri quandoque.* Hinc hæmoptyſin ſeu ſputum cruentum ſedant, hæmorrhagias narium, vulnerum, arteriarum, & quaſcunque alias corrigunt, menſes immodicos reſtituunt, vomitum & mictum cruentum auferunt; inprimis etiam catarrhos tenues, ſalſos, acres, ad pectus delabentes, ſuſpendunt, incraſſant, & ad ſtatum naturali proximum deducunt.

In quibusdam caſibus utrumque expediunt, nempe, & partem roborant, & fluxum ſedant, ut in ichore ulcerum ſeroſo, fluore albo, &c.

Inprimis verò & præ aliis unitas viarum vaſorumque ſoluta eadem indicat, quæ ſub triade illâ morborum continetur, nempe ἀναςομώσει, διαπηδήσει & διαιρέσει. Quæ *rupta, inciſa, eroſa*, uniri poſtulant, indicant adſtringentia.

Sunt itaque hujusmodi remedia indicantibus his debita va-

rii generis, quæ licet omnia in uno tertio conveniant, & unum eundemque finem intendant, attamen, quod aſſertum eſt *Galeni lib. 3. de ſimpl. fac. cap. 15.* hoc vel illud medicamentum adſtrictorium præter adſtrictionem inſuper alias qualitates accipit non paucas, adeoque effectum planè eundem obtinere nequit, ſeu, diverſi effectus ab aliis atque aliis adſtringentibus edi conſpiciuntur. Nam, quod adſtringit, non adſtringit modò; ſed & præter adſtrictionem acre eſt, aut pingue, aut dulce, aut amarum, aut ſalſum, aut acidum, quibus manifeſtò innuitur, quantum in ſelectu adſtringentium hoc vel illo fine ſitum ſit.

In genere propriè adſtringentia frigida ſunt & ſicca, id eſt, in illis qualitas terrea prædominatur, ſeu, juxta *Carteſium*, virtus eorundem in certâ craſſitie & figurâ partium conſiſtit, quibus alterius corporis partes inſtar cunei conſtringunt, vel inſtar fidium contorquent, vid. *Hamel. lib. 2. de corp. affect. cap. 4. pag. 404.*

Principia ergo activa, ſal, ſulphur, mercurius minùs in his ſunt vegeta, vel ſaltim terreis partibus immerſa & quaſi fixata, quod jam in ſpeciali recenſione magis patebit.

Sunt enim vel *terrea*, exſiccantia & abſorbentia, quæ abſque mordacitate adſtringunt, ut bolus Armena, corallia, lapis hæmatites, terra ſigillata, creta, crocus martis &c.

Vel *acerba*, & *auſtera*, quæ adſtringentia ambo ſunt, attamen gradibus, ſeu ſecundum magis ac minus differunt, ut biſtorta, tormentilla, acacia, cortex granatorum, omphacium, cydonia, meſpila, ſorba, cornus, terra Japonica, alumen, ⊖lum, quæ ſale auſtero conſtringente abundant, vegetabili vel metallico, cum partibus terreis.

Vel *acida*, ut oxylapathum, acetoſa, ſpiritus ⊖li ſimplex & martialis. De acidis tamen adſtringentibus notandum:

1. *Acida adſtringentia magis debentur humoribus fluxilibus*, tùm in vaſis, tùm extra vaſa, quos coagulant quaſi & figunt; *minùs poris & parietibus*, unde in hæmorrhagiis, narium v. gr. internè conveniunt, ut *in ephem. German. anni III. obſerv. 106.* annotavimus, ſpiritu ⊖li curatas à nobis hæmorrhagias ſcorbuticas, quod ibidem videri poteſt, quatenus acida h. m. coagulant ſanguinem flui-

Digitized by Google

fluidum. At poris ipſis, vel parietibus magis illapſa & communicata, minùs conveniunt acida, magis enim incidunt, dilatant, & exaſperant in effectu eosdem.

2. *Acidis* ergò *adſtringentibus ubique tutò fidendum non eſt*, non enim ita conſtringunt poros, uti jam diximus, &, ut faciunt auſtera, acerba, & ſtyptica alia; ſed ſimul gaudent λεπτομερείᾳ ſeu tenuitate partium. Hinc, qui in dyſenteriâ, diarrhœis, hæmoptyſi, &, ubicunque partium pori vel membranæ affectæ ſunt ſubſtantiâtenus, ut ita loquar, adhibere geſtiunt acida, næ turpiter ſe dant utplurimum.

Vel *emplaſtica*, tùm *oleoſa*, quæ poros obſtruunt, quo quidem ſenſu non aliò, quàm huc, referri merentur: tùm *gummoſa*, *mucilaginoſa*, *viſcida*, ac *emplaſtica propriè dicta*, ut ipſæ farinæ, ſemen hyoſcyami, tragacantha, gummi Arab. ſangu. draconis, maſtiche. Sunt etiam quædam *dulcia*, ut caſtaneæ: quædam *amara*, ut aloe &c.

Vel ſimul ſunt *balſamica*, & gaudent ſulphure terreis immerſo, tùm *implicitè*, prædominante aliâ qualitate, unde frigida, & propriè dicta ſunt adſtringentia, ut gallæ, cort. acac. granat. tùm *explicitè*, ut aloe, (quæ exterius adſtringit,) myrrha, nux moſch. cort. thuris, cinnam. quæ quidem poſteriora calida ſunt, & cum acredine conjuncta; ob modum tamen ſubſtantiæ, quatenus & emplaſticam habent vim, & partes terreas exſiccantes, ſunt adſtringentia; (quod patet experimento, ſi enim recipiatur 🝎 à deſtillatione aquæ cinnamomi, potenter adſtringit,) ſed impropriè ferè dicta, vel enim pro interno uſu adſtringendi non uſurpantur, ut aloe; vel roborando ſimul calorem, & parietes unà firmando proſunt, ut nux moſchata ſiſtit vomitus.

Vel *eſcharotica*, quæ quidem itidem propriè non adſtringunt, quatenùs tamen & humorem fluentem abſumunt, & cruſtam inducunt partibus, quæ hinc propugnaculi quaſi loco eſt, ne erumpere poſſit, faciunt, ut adſtrictionem poſt ſe relinquant, ut ignis, qui ad ſiſtendas vaſorum hæmorrhagias, v. gr. in amputatione artuum ſphaceloſorum &c. adhibetur: item calx viva; & huc etiam ipſe ſpiritus vitrioli, ac acetum aliquo modo referri poſſunt, quæ in quibusdam caſibus locum habent.

Digitized by Google

Vel *figentia*, uti ſunt narcotica, & opiata. Ubi not.

1. Ad impropriè dicta adſtringentia etiam pertinent *aquea*; hæc enim, ut talia, adſtrictivâ vi non pollent, (quippe quæ in fundo manet terrena, nec, ſaltem iisdem qualitatibus, aſcendit alembicum:) unde aquæ adſtringentes, plantaginis, equiſeti, polygoni, &c. non ſunt propriè adſtringentia: quatenùs tamen diluunt, & vehiculum commodum præbent, adeoque eidem fini debentur, inter ea quoque referuntur.

2. *Martialia* medio modò ſe habent, uti ſub aperientibus latiùs dicemus, & aperiendi ſcilicet fine, & adſtringendi, uſurpari ſolent. Notandum tamen h. l. id ſolum: Quæcunque martialia magis ſunt vitriolata, & ſal metallicum explicitum habent magis, illa magis aperiunt; quæ verò magis terrea & in ochram mutata, magis adſtringunt.

3. *Acini* omnes adſtringunt, unde, ſi paſſulæ majores præſcribuntur, laxandi fine, exacinatæ eſſe debent.

4. *Toſta* magis adſtringunt, ut rhabarbarum, corna, ſorba, nux moſchata: quia aqueæ & volatiles partes magis abſumuntur.

Quoad APPLICANDI MODUM in genere, quædam *interiùs*, quædam *exteriùs* magis uſurpantur: quædam *internè* & *externè* locum habent. Licet enim in corpus aſſumta fluxionibus & laxitati magis quaſi debeantur; attamen & exterius, ut ex jam dictis patet, uſum habent eximium.

Debent verò eſſe convenientia tùm partibus, quibus debentur, tùm humoribus & cauſæ: alia enim aliis magis conveniunt. Sic *ventriculo* conveniunt magis *adſtringentia aromatica*, nux moſchata, theriaca, quæ ſaltim miſcenda ſunt, ſi penitùs non liceat iis ſolis uti. Veriſſimum enim eſt, aromatica adſtringentia terreis mixta ventriculo, & conſequenter diarrhœis, dyſenteriis, vomitibus magis prodeſſe: unde & pulveri noſtro ſtyptico ex coraliis, biſtortâ, tormentillâ, tragea granorum actes, ſanguine draconis, hæmatite & aliis ſolemus utiliter admiſcere nucem moſchatam. Conveniunt etiam eidem ventriculo magis *acida*: & fotu enim & potu ſtomacho conducit acetum; excepto eo caſu, ubi eroſio ipſius vel inteſtinorum membranarum vel glandula-

dula-

Digitized by Google

dularum adeſt, vel timetur: item, ubi irritatio major, quo caſu tamen nihilominùs externè proſunt acida.

In affectibus *pulmonum* miſcenda ſunt *reſolventia*, uti inferius dicemus. In affectibus *hepatis* penetrantia *acida*: in *capitis* affectibus *balſamica*: ubivis ſcilicet ſuum addendum eſt corrigens, ut ſemper naturali ſtatui omnia reddamus conformia.

Sic ſi nimis fluxilis ſit materia, & acris, mucilaginoſa magis conveniunt: ſi venenoſa & maligna, ut in dyſenteriâ epidemiâ, bezoardica addenda, vel ſeligenda adſtringentia, vi illâ prædita unà, e. gr. biſtorta, tormentilla, terra ſigillata, Lemnia, unicornu foſſile &c. & adſtringunt, & ſimul malignitatem reſpiciunt.

Inſigne etiam ſtrategema eſt, ut, ſi humorum adeſt acrimonia, irritatioque fortis membranoſarum partium, figentia cum adſtringentibus miſceamùs, quo caſu utraque hæc miſta id præſtant, quod ab alterutro horum ſolo exſpectandum non erat. Sic opiata v. gr. ſiſtunt quidem diarrhœam vel dyſenterias, ſiſtunt quoque easdem adſtringentia ſibi relicta; verùm, cùm opiata magis figant humores; adſtringentia verò magis obviſcent & defendant irritatarum partium, (inteſtinorum,) parietes, hinc mixtum laudanum opiatum cum pulvere ſtyptico plus præſtat, quia utrumque attendit, adeoque felicius intentionem explet.

Ubi defendendæ ſunt partes, magis proficiunt terrea. Notari etiam meretur, quæ ex dictis elucet, regula:

Nunquam nimis adſtringendum, ne ſubſidant nimis pori & hinc vix relaxari queant. Hinc etiam in dyſenteriâ v. gr. à nimio adſtringentium uſu ſæpe oritur anxietas, ulcera cacoethica, &c. nimirum, moderari deſiderant ſæpe fluxus magis, quàm ſiſti, & omnia cum naturâ ſunt agenda: quam ipſam etiam ob cauſam aromatica reſolventia ſeu aperientia utiliter miſcentur.

Dicemus quoque, UBI MINUS CONVENIANT eadem adſtringentia; quod tùm externo, tùm interno de uſu intelligendum eſt.

Sic in *pectoris* affectibus in genere parcè adſtringentibus utendum eſt, tùm, quia tonus pulmonum laxitate gaudet, tùm, quia

quia facilè vitioſa materia, calida, bilioſa ad cor ob viciniam reſultare & repelli poteſt.

Hinc non conveniunt *in vocis exilitate*, & *thoracis anguſtiâ, non in dyſpnœâ* & *aſthmate*, quod ipſe *Galenus* præcipit *lib. 7. de compoſ. medic. κ.τ. c. 6.* non in *peripnevmoniâ* vel *pleuritide*, humores enim magis incraſſant, parti impingunt, & ad expectorationem ineptos reddunt: quin inducunt ſuffocationem, adeoque in hiſce omnibus adſtringentia vitanda, &, ſi occurrant indicationes mixtæ, v. gr. aſthma cum diarrhœâ, moderanda ſunt eadem.

Non conveniunt, *ubi attenuandum eſt*, non, *imminente criſi*, ne motus naturæ interturbetur.

Non *in fluxionibus alvi* externè conſtringentia cutim locum habent, quia itidem motus eſt naturæ contrarius.

Non *in ictero*, quia magis obſtruunt: non *in febribus continuis* externè, nec frigida, poros enim conſtringunt, criſinque & diaphoreſin impediunt.

Minùs etiam *in iis, quibus alvus eſt ſiccior*, minùs *in mulieribus*, quibus vel fluunt menſes, vel fluxuri ſunt. Videndum tamen eo caſu eſt, quod magis urget.

APPLICANTUR autem modò *frigida actu*, v. gr. ubi repellendum eſt, ubi ſanguinis rarefactio, impetus, & effuſio ſiſtenda, v. gr. adhibita teſtibus, hypochondriis, & inprimis fronti, unde anacollemata & frontalia ex adſtringentibus actu frigidis confici ſolent & adhiberi. Cerebro enim ea nocere non poſſunt, obſtante oſſium vallo.

Minùs verò *frigida* locum habent in thoracis, ventriculi, hepatis, vel uteri affectibus, (licet hypochondriis præſente hæmorrhagiâ adhiberi queant,) ne deſtruamus ſcilicet ipſorum actionem; frigida enim partibus membranoſis & nervoſis inimica ſunt. Sic in ſputo ſanguinis adſtringentia frigida ſunt cavenda, ne applicentur pectori.

Ex his etiam elucet *applicandi* LOCUS, qui eſt varius. Ita ſolent adhiberi fronti, collo, lumbis, teſtibus, partibusque aliis laxatis.

Notandum verò, quando interiùs uſurpantur adſtringentia, repe-

repetenda ſunt. Obſervamus enim in praxi, v. gr. in dyſenteriâ dato adſtringente vel opiato, intra ſex, ſeptem horas ceſſare ejus efficaciam, ubi non deſiſtendum eſt ſtatim.

FORMA medicamentorum adſtringentium externa itidem variat. *Interiùs* quidem in formâ pulveris, trochiſcorum, tincturæ, pilularum, &c. Ubi tamen notandum: Longè efficaciùs, & majori cum ſucceſſu adhiberi illa in formâ ſiccâ, quàm humidâ, liquida enim citiùs diffluunt, adeoque iis reſpectu illorum minùs fidendum: licet enim dentur Tincturæ adſtringentiſſimæ & magni uſus; illæ tamen conſtringunt quidem parietes, adeò tamen ſimul non demulcent: aſt ſermo propriè eſt de aqueis, potionibus, decoctis, &c. niſi diluendi ſimul ſcopus adfuerit. Ita communiſſimè ſtatuunt, emulſiones ex amygd. dulc. adſtringere alvum, & ſiſtere; ſed diluere & temperare materiam magis norunt, quàm adſtringere.

Externè emplaſtra, cerata, frontalia, cataplaſmata, epithemata in uſu ſunt.

Sic verò & externè *liquida adſtringentia* non æquè talia ſunt, ut iis ſemper tutò uti poſſimus, niſi repellendi unà ſit intentio, ceu jam de frontalibus dictum eſt. Hinc *balnea adſtringentia* in fluxu menſium immodico, fluore albo, &c. minùs conveniunt, vel uſitata ſunt accuratioribus practicis, quia contrarium id eſt tùm actioni caloris actualis, tùm humiditati blandæ: hæc ipſa enim potiùs laxant ex ſuâ naturâ, & cùm præponderent neceſſariò, hinc minùs tutò adhibentur.

Sic etiam *clyſteres adſtringentes*, ſi rem exactius conſideremus, eodem modo ſe habent, ſeu, propriè non dantur clyſteres adſtringentes, tùm ob rationes jam datas, tum, quia omnis humor infuſus inteſtino recto, ceu ipſi peregrinus, illud irritat, etiam ipſa aqua. Dicuntur tamen clyſteres adſtringentes, & præſcribuntur illi, qui mucilagine quâdam abraſum inteſtinorum mucum reſtituunt & demulcent, ex lacte, pinguedine cervinâ, &c. qualia inprimis commendat *Mindererus*. Attamen & hoc modo diluunt & temperant potiùs, quàm adſtringunt.

Sic etiam ad immodicum menſium fluxum *fotus* & *ſuffimenta* præſcribuntur, quæ, niſi divertendi, alterandi & diſſipandi fine

Digitized by Google

adhibeantur, minùs conſtans quoque auxilium afferre conſueverunt.

Sic porrò & *unguentis* & *linimentis* adſtringentibus, quà talibus ſcilicet, fidi conſtanter non poteſt: pinguia enim omnia laxant; aſt unguenti & linimenti natura eſt, eſſe tale, unde *unguentum Comitiſſæ* eo caſu adhibetur quidem utiliter, quatenùs ingrediens cera & ſtyptica illa oleoſitatem ex parte temperant, & ferè unicum inter adſtringentia eſt; remiſſam tamen in eodem habent vim adſtringentia. Quæ verò aromatica ſunt unguenta, illa aliâ ratione, v. gr. ventriculum, roborant. Adeoque unguenta & linimenta inprimis ſtant poſt principia, poſſunt unà adhiberi; ſed non ſola.

Duo adhuc notabimus circa adſtringentia peculiaria, quorum primum tempus aſſumendi regulare poteſt, alterum uſum ipſum.

1. *Adſtringentia quædam alimentoſa ante cibum aſſumta alvum conſtipant; à cibo autem adhibita eandem laxant*, id quod à fibrarum conſtrictione deduci ſolet: quatenus enim ante cibum dantur, pylorus roboratur magis; quando poſt illum, per accidens conſtrictis ventriculi parietibus magis laxatur. Valet id in ſpecie de cydoniis. Ex quo etiam patet, non commode adhiberi quoque ipſa medicamenta adſtringentia cum cibo. Quin obſervavimus, per accidens etiam in tenerioribus & laxioribus texturæ, quoad ventriculum & inteſtina, hominibus à pulvere quoque ſtyptico alvum laxatam.

2. *Dantur caſus, ubi, licet fluxus adſint, adeoque mobilitas humorum, & eruptio, tamen adſtringentia tantum abeſt, ut conveniant, ut potiùs noceant*, e. gr. fluxus menſium immodicus, in hypochondriacis præſertim, ſæpe fit ab *obſtructis vaſis*, & hinc libero ſanguinis commeatu impedito, unde natura gravata & coacta alias quærit vias: item *à copiâ ſanguinis*, ibi fruſtrà ſunt adſtringentia. Indicans quidem adeſt, eſſe adſtringendum; ſed hoc ultimum eſt, ſeu finis: qui verò finem vult, attendat etiam media, adeoque eo caſu conveniunt potiùs aperientia. Sic etiam in hydropicis & cachecticis frequentiſſimæ ſunt hæmorrhagiæ narium, & quidem ſtrictè ſæpe ſervatâ rectitudine, ut

dextra

Digitized by Google

dextra tantùm, vel ſiniſtra cruentet, prout lien vel hepar magis affectum; ibi etiam requiruntur quidem roborantia ſimul viſcera, aſt potior tamen intentio eſt aperiendi obſtructa, adeoque regulæ inſtar notandum: *Ubi cum humorum effluxu adeſt vel obſtructio vaſorum, vel eorundem copia, minùs proſunt adſtringentia*, ſed *priori* caſu *aperientia; altero evacuantia*, ut venæſectio, &c.

Lib. I. Sect. II.

Caput III.

De Aperientibus.

Sequuntur jam alia ex aliis, & ſummâ cum animi delectatione conſiderare licet, quomodo medicamenta agant, quænam ſelectiora ſint, quomodo operentur, ut felix non minùs ſit medicus, qui hæc operandi arcana intimiùs perſpicit, quàm qui morbos accuratè dignoſcit.

Eidem fini debita ſunt Aperientia, *reſolventia*, *attenuantia*, *incidentia*, & *abſorbentia*. Quædam enim horum modum magis dicunt, uti jam latiùs patebit.

Modus quippe agendi & virtus conſiſtit principaliter *in partium tenuitate* ſeu *λεπτομερεία*, gaudent aperientia particulis incidentibus, acutis, penetrantibus, & ductus laxantibus, quibus motum humoribus fixis procurant, & vias, per quas ipſis tranſeundum, expediunt.

Secundariò verò aperientia modicâ craſſitie gaudere debent, ne tàm facilè virtus eorundem exſpiret, vel diſſipent potius, quod faciunt rarefacientia, quæ in ſuperficie hærentibus & poris magis ſunt dicata, ubi poros laxant, & humores fundunt; ſed aditum ſibi & permanentiam fœnerantur, materiæ enim magis in profundo hærenti debentur. Hinc amara maximi æſtimantur inter aperientia, quia ob partes terreſtres ſimul roborant. Inſtar regulæ enim valet circa *aperientia*, *optima eſſe, quæ unà partes & villos roborant, nec tonum laxum inducunt*.

Et hæc ſunt propriè dicta aperientia, ſeu potiùs *prima claſſis*, nempe volatilium. Sunt verò & præter hæc aperientia, quæ

Digitized by Google

abſorbent & reſolvunt, non ſuâ quidem vi, quòd penetrent, tenuibus gaudeant particulis, & penetrantibus; ſed, quòd abſorbentia ſint, & coagulum illud, quod humores quaſi figit, & plerumque acida, pontica, auſtera eſt qualitas, abſorbeant, unde edulcantur quaſi humores, & conſequenter in alveis ſuis non reſtagnant; ſed promtè eunt, ac redeunt, & vel circulantur, vel excernuntur.

Indicans igitur apertionis univerſale quaſi & commune (vaſis, poris obſtructis, & materiæ obſtruenti,) eſt I. *obſtructum*, adeoque hinc conveniunt aperientia magnâ latitudine omnibus obſtructionibus in genere, v. gr. obſtructioni

1. *Viſcerum*, ut hepatis, uteri, menſium, renum, lienis, meſenterii. Ubi notandum: *Illa viſcera magis eſſe obſtructionibus obnoxia, quæ pluribus gaudent vaſis*, ut hepar, & lien præcipuè.

2. *Vaſorum*, ut *venarum* & *arteriarum*, quæ inſtar canalium ſunt, unde, ſicut aliàs aquæ in canalibus, quos transeunt, materiam limoſam, quâ ſcatent, ſenſim & ſenſim deponunt, & ad latera affigunt: ita etiam ſe res habet in vaſis, unde videmus in iis, qui obſtructa habent vaſa, pulſum auctum, & citiùs moveri ſanguinem, quia ſpatium ipſi eſt anguſtius. Item *nervorum*, ut in *paralyſi*, ubi conveniunt aperientia nervina, quæ poros nervorum obſtructos expediunt. Item *vaſorum ſalivalium*, lymphaticorum &c.

3. *Meatuum*, ut pori choledochi, inteſtinorum, ureterum, &c. unde conveniunt in *ictero*, *colicâ*, *calculo*, ubi obiter notandum: *omnes nephriticos eſſe etiam hypochondriacos*, ſeu, abundare materiâ tartareâ ſeu obſtruente, in ſanguine.

II. Aperientia indicat *concretum*, *tartareum*, quando humores ſalini, ♀rei, terreſtres obſtructiones cauſantur, ubi propriè audiunt *reſolventia*: unde *in calculo*, *ſcorbuto*, *affectu hypochondriaco*, unicè proſunt, ſive illa concretio & coagulatio fit *in fieri*, unde in *grumeſcentiâ ſanguinis*, *palpitatione cordis*, *lipothymiâ*, *ſyncope*, *polypo cordis*, &c. conveniunt: vel *in facto*, ut in *abſceſſibus internis*, *pleuritide*, *abſceſſu hepatis* &c. Item *in caſu ab alto*, *vulneribus*, internè: unde antipleuritica & travmatica pleraque ſimul ſunt reſolventia, & in pleuritide eadem conveniunt, quæ in caſu

ab

Digitized by Google

ab alto. Sic &, quod ſuprà jam diximus, reſolventia hæc hoc modo conveniunt in *hæmoptyſi*, juncta adſtringentibus. Sic & in *aſthmate*, & *tuſſi* ipsâ optima ſunt reſolventia. In *ſcirrhis hepatis* & *lienis* conveniunt aperientia & reſolventia, tùm intus, tùm exteriùs, ſicut eo caſu gummi Ammoniacum & alia hanc vicem obeunt. Sic in *calculo* talismodi reſolventia, v. gr. inter alia ex ſpermate ceti, ſale volatili ſuccini, lapidibus cancrorum, egregia ſunt & eximia.

Concretionem verò talismodi patiuntur & ſubeunt vel *humores*, ſanguis, bilis, ſerum, urina, lac; quandocunque reſtagnant, & extra propriam quaſi ſphæram, ut ſic dicam, moventur, ſeu extra ſuum elementum verſantur: Vel *flatus*, unde flatulentis quoque affectibus reſolventia ſunt optima, & ſuo ſenſu huc pertinent omninò *carminativa*: quid enim aliud hæc præſtant, quàm quòd reſolvant flatus craſſos inprimis, vel tenues concretos, & vias ipſis liberas reddant? Sic &, quando connivent quaſi orificia & pori, eadem proſunt.

III. Aperientia indicat *craſſum*, *viſcidum*, *tenax*, ſive id de bile prædicetur, quando iners fit, naturam ſuam exuit, & acrimoniam ſalino-ſulphuream, blandam, balſamicam perdit, ſive de pituitoſis, frigidis, & hujusmodi ſuccis, unde in *anaſarcâ*, *catarrhis craſſis*, *cachexia*, *calculo glutinoſo*, *ventriculo pituitâ repleto*, &c. conveniunt, quo caſu audiunt ſpeciatim *incidentia & attenuantia*.

Utut verò ſæpiùs etiam tenues videantur peccare humores in obſtructionibus v. gr. *ſcorbuto* & *affectione hypochondriacâ*; attamen illi in receſſu ſunt craſſi, & præter partes ſalinas volatiles etiam aliæ adſunt, unde nimium quantum variant ſymptomata. Sic & ſerum ſeu lympha, quamdiu in propriâ ſuâ ſphærâ, & ſub nativi caloris dominio verſatur, tenuitatem præ ſe fert; quando verò excidit & elabitur vaſis vel è corpore, craſſeſcit, quod videmus in *catarrhis*.

Sic conveniunt aperientia talismodi, inprimis volatilia, in *apoplexiâ*, quando principium nervorum obſtruitur: in *narium* item *obſtructionibus*, *febribus intermittentibus*, *quotidianis*, *tertianis*, *orthopnœâ*, &c. Et hoc caſu egregiè etiam ſe gerunt purgantia

 tia

Digitized by Google

cia ipſa, quippe quæ omnia ſalino liquante & fundente gaudent ſtimulo.

IV. Aperientia indicat *acidum, acre, auſterum, acerbum, ponticum.* Quando videlicet acido extraneo quaſi fixatur ſanguis, quando auſteris particulis conſtringuntur ſucci, ut circuitus ſanguinis non legitimè fiat, nec partes volatiles liberè commeent, ac evolvantur. Et hoc caſu audiunt ferè abſorbentia, ſaturantia, præcipitantia. Ex quo patet etiam latiſſimus uſus, v. gr. in *affectibus capitis vertiginoſis, epilepticis, apoplecticis, paralyticis,* proſunt aperientia & abſorbentia cephalica, cinnabarina inprimis, quæ ſanguinem reddunt fluxilem, & ob hanc ipſam vim latiſſimè patent, & in *affectibus articulorum, doloribus* quibusvis, *calculi, articulorum, iſchii, uteri* conveniunt: item ſalia volatilia, tùm ſibi relicta, tùm ꝏoſa magis reddita. Sic in affectibus hepatis & lienis, *ictero flavo & inprimis nigro, ſcirrho, hydrope, cachexia,* & maximè *affectione hypochondriacâ & ſcorbuto* omne eadem abſolvunt punctum. Si enim quæratur, *quâ ratione agant martialia, & aperiant?* optimè reſpondetur, *abſorbendo,* (ut mittamus h. l. quæ latiſſimè hanc in rem diſcurrere poſſemus & digredi,) non aliter ac ∽tus ⊕li, ⦶, ⊖lis, ▽ ipſa affuſa ♂ti, acidas ſuas particulas infringunt, ſaturantur, dulceſcunt, & in vitriolum faceſſunt. Sic par ratio eſt in corpore, unde & coralia à *Glaubero* laudantur ceu inſigne *εὐπόριστον in affectione hypochondriacâ* ad ℈j. vel ʒß aſſumta. Sic in affectibus tùm his, tùm *nephriticis* laudatiſſima ſunt eadem.

Atque hæc ipſa jam aperientia, & in ſuo genere conſiderata, duplici agunt ratione: vel *alterando*, ut corrigant ipſam materiam peccantem, & reſtabiliant ductus, meatus & vaſa, vel *evacuando,* quo intuitu etiam ipſa purgantia optima ſunt aperientia, quia ipſa etiam gaudent λεπτομερείᾳ ſeu tenuitate partium. Hinc regula practica eſt: *in obſtructionibus viſcerum non ſolùm eſſe aperiendum,* ſeu, *non ſolis inhærendum aperientibus; ſed & evacuandum, ut id, quod apertum eſt, & liberatum ac expeditum, evacuetur.* Et in morbis chronicis ac diuturnis interpolanda ſunt hæc ſibi invicem, 1. aperiendum, 2. purgandum, hinc iterum aperientibus continuandum &c.

Evacu-

Evacuantia verò uti nota ſunt, ita materiæ ipſi h. l. non opus erit latiùs recenſendæ occupari. Hoc ſaltim huc pertinet, quod eleganter alicubi *Martianus* recenſet, & exempla talismodi apud *Geſnerum* exſtant, v. gr. *in oxymelite belleborato Geſneri*, quod *purgantia aperientibus addita eorundem vim intendunt & adaugent.*

Ipſa verò aperientia, quæ ceu indicatum indicantibus jam recenſitis ſatisfaciunt, ſunt varii generis, eaque, teſte *Montano* & experientiâ, 1. in genere pleraque, non excedentia ſecundum caloris gradum, vel primam tertii gradûs manſionem; 2. gaudeant verò ſimul ſubſtantiâ craſsâ, roborante, terreſtri, ne calor tàm citò diffletur. Hinc principia activa in his prædominantur, inprimis ſal fixum & mercurialia, partes aëreæ, terreis immixtæ. Suntque

V. gr. 1. *acria* ſive cum aromaticâ energiâ, ſive ſalis volatilis virtute, ut rad. 5. aper. in ſpecie fœniculi & petroſelini, pimpinellæ, ari, plantæ antiſcorbuticæ, cochlearia, naſturtium, ſinapi, coſtus Arabicus, cortex Winteranus.

2. *Aromatica*, & oleoſa volatilia, ut menthia, pulegium, flores liliorum convallium, meliſſa, cinnamomum, cubebæ, ſemen dauci, coſtus, macis: olea carminativa, aniſi, fœniculi, ſalia volatilia oleoſa, ~us antiſcorbutici.

3. *Amaricantia*, quæ καθ' ἐξοχὴν id præſtare jam diximus, v. gr. radix cichorii, gentianæ, ſquillæ, abſinthium, eupatorium, chamædrys, marrubium, centaureum minus, agnus caſtus, gummi Ammoniacum, aloe, & ex his parata varia: Mª de Ammoniaco, ℞a abſinthii, infuſa, &c.

4. *Acida*, ut cappares conditæ, ~ ⊖ volatilis, ⊕li, ⦶i. ♀ri, clyſſus ♁ii, quæ inſigniter penetrant: acetoſa, acetoſella, ſuccus citri, cremor & cryſt. ♀ri, acidulæ, &c.

5. *Aquea*, quæ diluunt, temperant, abſtergunt, & vehiculum præbent reliquorum ut ſerum lactis, ▽æ ♌tæ, &c.

6. *Abſorbentia fixa, lixiva & enixa*, ut ⊖lia plantarum, ℞a ♀ri, ♃ii ♀riſata: quæ inſigniter abſtergunt, & venarum amurcam expurgant: item *terrea*, tùm *alcalina*, ut ceterach, hepatica nobilis, lapides ♋, coralia, ♀us ⊕latus: tùm ⊕*lata*, ut ⊕lum, ⊕lum ♂tis, crocus ♂tis aperitivus, limatura ♂tis in ſubſtantiâ,

℞æ

℞æ ♁tis, & quæ ex hiſce variis modis ſunt mixta. Inprimis eorum ſelectiſſima remedia quaternario numero comprehenduntur, & ſunt ♂*ialia*, ♀*rea*, ⊕*lata*, ☿*iata*.

Sic & *diuretica* omnia ſunt aperientia, quæ præcipuè conveniunt, ubi in gibbâ hepatis parte hæret obſtructio, &, quando ſanguini penitiùs nuptum eſt malum.

Quoad APPLICANDI USUM & MODUM, aperientia & reſolventia præſente indicatione adhiberi queunt & debent, adhibitis tamen quibusdam cautelis.

Conveniunt nempe, & magis ex uſu ſunt, 1. *præmiſſis univerſalibus*, vel ſaltim iisdem non omiſſis, aliàs enim ſæpe impinguntur potiùs humores, quàm extricantur tunicæ meatuum & vaſorum. Hinc tùm purgantia huc pertinent, quæ ſuperiùs monuimus commodè debere interponi, tùm alia univerſalia præſidia, v. gr. ipſa quoque V. S. quæ in magnâ obſtructione ſæpe utiliſſima eſt, ſi unà vitium ſanguinis in quantitate & qualitate adfuerit. Sic in *obſtructione menſium*, *palpitatione cordis*, quin ipſis etiam interdum *obſtructionibus hypochondriacorum* non ſola aperientia rem expediunt, non purgantia ſola; ſed V. S. ſæpe requiritur, quæ inprimis in *menſium ſuppreſſione* neceſſariò ſimul in uſum trahenda.

2. *Non inſiſtendum unicè eſt & continuò ſolis aperientibus, præſertim volatilibus.* Verum quidem eſt, illa ad penitiſſimas ferri partes, extergere & rarefacere humores, & heroica eſſe medicamenta: ſic etiam incidentia & attenuantia ſtrenuè ſe gerunt; verùm, ſi quis continuo uſui inhæſerit, nec interponat roborantia, tonum viſcerum labefactabit, & corpus ad malum habitum præcipitabit. Hinc ſæpe videmus, hypochondriacos fruſtrà indies talibus uti medicamentis, ſi negligant ſimul tonica. Et longè magis illi errant, qui ſpiritibus volatilibus, v. gr. ⊖lis ✳ci, continuò uſurpatis ſuperare contendunt obſtructiones.

3. *Admiſcenda quoque partem affectam reſpicientia*, uti cephalica capiti, hepatica hepati, &c. ut partium harum nativus calor conſervetur. Sic ut ab obſtructione renum *calculus* generatur, ita eidem conveniunt aperientia; ſed ſimul coagulum reſolventia.

4. *Dulcia*

Digitized by Google

4. *Dulcia minùs inter aperientia conveniunt*, unde olim ferè ſirupis digeſtivis & aperientibus ſolis fruſtrà utebantur, & ordinem etiam aperientium horum obſervabant, quem deſcribit *Heurnius meth. ad praxin l. 3. cap. 7. p. 287.* Exhibuerunt 1. ſirupum acetoſum ſimplicem, 2. de duabus radicibus ſine aceto, 3. de duabus radicibus cum aceto, 4. ſirupum de quinque radicibus aperientibus, 5. ſirupum byzantinum ſine aceto. 6. Sirupum byzantinum cum aceto. Ex quo ceu poriſma elucet materia ſiruporum aperientium, ſinguli enim hi locum quidem habent, & gradibus differunt, uti etiam

5. *Gradus aperientium commodè obſervantur*; aſt ſoli rem non abſolvunt, ſed ſtant poſt principia. Notabimus tamen circa uſum aperientium dulcium duo peculiaria, quorum *primum* eſt, quòd *dulcia eximiè conveniant inter aperientia, ubi abſterſione opus eſt*, ceu mel, ſaccharum, in affectibus pectoris inprimis, uti & ſtomachi, eo caſu benè ſe gerunt, & aliàs quoque terebinthinata egregiè abſtergunt: *alterum, dulcia inter aperientia præcipuè locum habent & numerari poſſunt, ubi fermentatione ſanguinis opus eſt*, unde obſervant autores, quod in ſpecie *Hildesheimius ſpicileg. 1. de affect. cap.* notat, ſirupos in obſtructionibus menſium inſigniter prodeſſe, non aliâ ſcilicet, quàm dictâ hâc causâ: videndum tamen, ne quid nimis.

6. *Danda ſunt aperientia vacuo ventriculo, non cum cibis, nec poſt eosdem ſtatim*, quia tùm in genere alimenta cum medicamentis non ſunt confundenda, tùm in ſpecie aperientia, quandoquidem in vaſa lactea chymum nondum concoctum, excrementum cum alimento præcipitant, adeoque obſtructiones adaugent.

7. *Aperientia valdè ſiccantia in hecticâ minùs conveniunt, ſi putrida conjuncta ſit febri*, augent enim magis rarefactionem ſanguinis, & calorem.

8. *Minùs etiam in renum debilitate proſunt, eosq; nimio uſu lædunt*, redundatque in eos ſeparatum & fuſum à ſanguine ſeroſum.

9. *Præ reliquis vitandum eſt, ne ſiccent nimis, unde humectantia ſeu liquida magis diluunt, & temperant*, & in hepatis, uteri, lienis

G affe-

affectibus maximè ſunt obſervanda. Obſervavi ſæpiùs, contumaces hypochondriacos, cùm fortioribus & ſiccioribus aperientibus fruſtrà & diu fuiſſent vexati, optimè habuiſſe ab humectantibus talismodi, unde & Galenica medicamenta cum chimicis hîc commodè miſcentur, & in *infuſo* commodè dantur, in *decoctis* etiam, ob eandem rationem. Hinc & *acidulæ* inſignes poſſident in obſtructionibus auferendis vires, quod & ſalia reſoluta ſecum gerant, & copioſo liquore diluant. *Pilulæ* verò magis conveniunt, ubi humoribus excrementitiis viſcera abundant, ut Mꝑ. ♀*rearum Quercetani*, *Bontii*, *Schröderi*: &, ut ſummatim hæc repetamus: *aquea & liquida magis diluunt & temperant: terrea magis abſorbent: ſalina magis per urinam pellunt: acida magis incidunt: acria magis attenuant & reſolvunt: dulcia magis abſtergunt: amara ſimul magis roborant.*

Atque hæc de ἐκφρακτικοῖς dicta ſunto.

LIB. I. SECT. II. CAPUT IV.

De

Incraſſantibus.

VT *induratio poros magis & fibras nimis laxas*: ita INCRASSATIO *humores mobiles* magis reſpicit; licet generali loquendi uſu, ceu ſuprà innuimus, ſub adſtringentium latiùs ſumtorum claſſe ſingula poſſint comprehendi.

INDICANS nempe INCRASSATIONIS eſt humorum *tenuitas*, *fluxilitas*, *mobilitas*, *acrimonia*, & *rarefactio* cum diſſlatione. Ob partes enim lentas, viſcidas, glutinoſas & cohærentes eorundem motum inhibent, tenuitatem corrigunt, cruditatem coquunt, & expectorant eo caſu; acrimoniam verò obviſcant, & poros lentore unà ſuo demulcent.

Humores tales potiſſimùm ſunt duo: *ſerum*, ſeu *lympha* quoque, & *bilis*, quæ, ſi peccent qualitate tenui & acri, unde facil-

facillimè ferociunt & turbas cient, inter alia indicata quoque requirunt incraſſantia. Hinc conducunt eadem

1. *In hæmoptyſi, tuſſi tenui, acri, phthiſi,* & in genere in *affectibus pulmonum* ſimilibus, à tenui ſcilicet materiâ oriundis.

2. *In eroſis bronchiis pulmonum, membranarum, ventriculi, renum,* ſopiunt & corrigunt hæc ipſa, unde *Spigelii apud Scultetum* experimento *ſirupus de ſymphyto Fernelii cum terrâ ſigillatâ* in ventriculi eroſione officium facit.

3. *In diarrhœis, dyſenteriisquè* inſignis ſunt utilitatis, unde *pulvis dyſentericus Cratonis* ex *tragacantha, corallis & gummi Arabico* commendabilis eſt: & *tragea granorum actes* in dyſenteriâ probè ſe gerit.

4. *In mictu cruento, diabete, ſudore nimio,* laudanda ſunt, unde *Hofmannus* in febre colliquativâ ſudatoriâ bolum Armenam feliciter uſurpavit.

5. *In hecticâ & phthiſi* ad refrenandum fermentum nimis rarefacti ſanguinis depaſcens, unde *cochlea, pulmenta,* &c. ceu alibi jam ex *Malpighio* innuimus, inſignis ſunt uſus.

6. *Externè in affectibus oculorum* conveniunt, repellendi fine: oculi enim gaudent mucilaginoſis.

Sunt verò incraſſantia 1. *frigida aquea & mucilaginoſa,* ut tragacantha, gummi Arabicum, ceraſorum, quod in renum affectibus & eroſione prodeſt, galreda C.C. ſirupus de ſymphyto Fernelii. 2. *Lentore terreo conſtantia,* bolus Armena, terra ſigillata. 4. *Lentore oleoſo conſtantia,* ut lac chalybeatum, emulſiones: reliqua enim ſub adſtringentibus jam fuere recenſita. 5. Optima & univerſalia quaſi incraſſantia ſunt *papaveracea,* ſirup. de papavere rhœade, diacodium, laudanum opiatum, pilulæ de cynogloſſâ, requies Nicolai, theriaca ipſa. Ex his verò parari poſſunt looh, pulveres, pilulæ, &c.

Horum verò USUM & APPLICANDI RATIONEM probè diſcernere oportet, quem unico axiomate comprehendemus:

Non invertendus ordo, id eſt, non danda ſunt incraſſantia, ubi attenuatione & inciſione opus eſt, nec vice verſâ incidendum & attenuandum eſt, ubi incraſſatio requiritur. Inprimis id valet in affectibus pectoris, & nominatim in tuſſi. *Tuſſim* curandi me-

methodus univerſalis limitatur ab ipſius materiæ conditione; aut enim eſt materia tenuis, acris, ſalſa, defluens ad pectus, & phthiſin, &c. minitans, & catarrhos ſuffocativos: vel craſſa, lenta & viſcida eſt. *Primo* caſu conveniunt incraſſantia ex *bolo Armenâ, loob de papav. terra ſigillata, ſpec. diatragacanth. fr. laudanum opiatum,* &c. *altero* vero incidentia bechica *ex hyſſopo, aro, ſpec. diaireos*, &c. Sin ordo invertitur, facilè vel ipſam ſuffocationem inducere poſſumus. Par ratio eſt in *aſthmate*, ubi incraſſantia ordinariè non conveniunt, ſed nocent; proſunt verò incidentia.

LIB. I. SECT. II. CAPUT V.

De

Repellentibus.

REferemus huc propter affinitatem & repellentia reprimentia ac repercutientia.

Dicuntur ἀπωκρουστικά, ſive REPELLENTIA, quòd in oppoſitum vertant & pellant, ut ex loco, quem occupat materia, vi recedat, quæ vel exitum importunè affectat, vel retineri potiùs debebat, vel ſenſum corrumpit, vel tumorem parit, aliiſque modis parti cuidam eſt inimica, in quo quidem vel *univerſale vitium* eſt, ut, ſi ſanguis alicubi impetuosè erumpit; vel *particulare*, affectæ partis ipſius, ſi pori nimis hiant, ſi unitas ſoluta, &c.

INDICANS itaque repellentium triplici comprehendemus nomine. Reſpiciunt enim

Vel *fluxum*, ſive effluxus fiat, ſive affluxus impetuoſus ſeri & ſanguinis, & ῥευματισμός. Hinc conveniunt repellentia in omnibus *fluxionibus ſanguinis*, ubi actu effluit idem, in vulneribus, hæmorrhagiis narium, id enim fit toto genere p. n. Sic conveniunt in *ophthalmiâ*, & aliarum quarundam *inflammationum* initio, ubi nihil contra indicat. Præcipuè verò id locum habet in materiâ adhuc fluxili, mobili, volatili, & ad partem ruente,

non-

nondum impactâ, nec extravaſatâ. Debentur ſcilicet magis materiæ influxuræ vel influenti, quàm influxæ; eſt tamen ubi & id tutò fieri poteſt. Sic apprimè conveniunt repellentia in *cancro*, non omiſſis univerſalibus, ex ♄*no*, *ſolano*, &c.

Vel *ſenſum*, dolorificùm nempe, moleſtum, & triſtem, illum enim obtundunt, ut non percipiat accenſas dolorum faces. Ita conveniunt repellentia in *pruritu*: uti novimus pruritum immanem teſtium aquâ frigidâ fuiſſe edomatum & curatum. Sic in *podagrâ*, licet non æquè tutò: in *doloribus dentium* interdum locum habent: ſi enim affluxus per jam dicta h. m. inhibetur, neceſſe quoque eſt, ceſſare dolorem.

Pertinent huc etiam *comprimentia*, quæ ipſa quoque ſuo modo repellunt, & ſenſum auferunt, influxu ſpirituum inhibito.

Vel *poros*, ſi v. gr. nimis hiant, & dimittunt per difflationem humorem utilem: hinc conveniunt in *ſudoribus colliquativis* & *cruentis*, *phthiſi*, *becticâ*, dorſo applicata, quo ipſo quoque affluxus inhibetur, ſi pori denſentur magis, ne admittant humorem.

Sunt igitur repellentia 1. *actu frigida*, ut aqua frigida, marmor frigidum, ferrum frigidum: uti notum eſt vulgatiſſimo experimento, cultri frigidi compreſſione *contuſiones* ſtatim ita curari, ne affluxus major fiat. Coagulant enim hæc quaſi ſanguinem, & partem ipſam ad reſiſtendum aptam reddunt, ſiſtunt fluxum, ſenſum obtundunt, poros firmant & obſtruunt.

2. *Acida, auſtera, acerba, & adſtringentia terrea*, aliaque ſuprà dicta; illa enim huc repetere non opus eſt, unde & breviores erimus. Sic in *panaritio*, *hæmorrhagiis*, acetum: Sic in *hæmorrhagiis* ⊖lata, aluminoſa, in vulneribus ſtyptica, &c. proſunt.

3. *Viſcoſa* & *oleoſa*, quæ poros potiſſimùm reſpiciunt, ut oleum olivarum, nymphææ, ſperma ranarum, albumen ovi, pſyllium, & mucilagines, &c.

Pertinent huc & illa, *impropriè* licet videantur ita dicta, *repellentia*, quæ id præſtant effectivè & ἐνεργητικῶς, ut & poros obſtruant, & fluentem materiam vitioſam illam cum maſsâ ſanguineâ reduniant, & adeò retrocedere faciant, v. gr. ☿alia in *ſcabie*

in unguentis illita, quæ & obviſcant poros, &, uti diximus, non admittunt apponi partibus.

Sed, cùm de repellentibus hiſce ſub medendi methodo generali, quoad applicandi modum, agatur latiùs, & ſub adſtringentibus quoad materiam ipſam, hîc latiùs ea repetere ſupervacaneum putamus, exinde commodius petenda.

LIB. I. SECT. II. CAPUT VI.

De

Attrahentibus, ſinapiſmis, veſicantibus.

OPpoſita repellentibus ſunt ATTRAHENTIA, *tractoria*, ſeu *attractoria* medicamenta, quæ nempe parti affectæ appoſita illuc vocant humores & materiam.

INDICANS attrahentium generale *duplex eſt: ſ. n.* & *p. n.*

Indicans ſ. n. eſt 1. *calor* ipſe deficiens, & 2. *nutrimentum*, unde attrahentia debentur partibus *calore* & *nutrimento* carentibus. Hinc ergo proſunt in *paralyſi*, *atrophiâ*, *ariduris*, quatenùs vegetant calorem nativum, ſpiritus reſtaurant, ſanguinem alliciunt, ut parti ſuus reddatur tonus: item in *gangrenâ* & *ſphacelo* incipiente, ubi emoritur jam quaſi pars, ut, ſi ullo modo poſſibile id fuerit, ſibi reſtituatur.

Utroque caſu conveniunt etiam olea deſtillata, quæ ipſa quoque rubificantium cenſum ſubeunt. Sic in *paralyſi* ℴℴ piperis, cinnamomi & caryophyllorum proſunt, aliis mixta, ne tàm citò exſpirent, vel ſola: In *gangrænoſis* verò partibus oleum cinnamomi, caryophyllorum præcipuè, ut & 🜄 camphoratus &c.

Indicans p. n. eſt varium, & principaliter quidem

Vel 1. *materia ſeroſa* & *ichoroſa*, cui inprimis debetur attractio, ſicubi reſtagnet in hâc vel illâ parte, & negotium faceſſat, ſive

ſive benigna, ſive mali moris; inprimis, ſi adſit unà *ῥευματισμός*. Evacuant enim, derivant, & evocant ex alto, ſeu è profundo, unde dicuntur *μετασυγκριτικὰ evocantia*; quin ſæpe etiam revellunt: unde proſunt *in dolore iſchiadico* & aliis doloribus profundis. Laborabat quidem ſcriniarius *dolore femoris* ſatis moleſto & profundo, citra ullius præſidii auxilium; tandem verò veſicatorio appoſito feliciter curabatur. Et hóc pacto etiam particulariter evacuantium ſuo ſenſu titulum merentur. Sic &, in *ulceribus, ac fonticulis*, radix gentianæ vel hellebori nigri adhibetur, ut materia magis fluat.

Vel *vaporoſa*, ſiquidem flatulenta diſtenſio in partibus carnoſis ſe offerat, licet id paulò rariùs contingat, commiſta humoribus. Sic in *epilepſiâ*, ab aurâ v. gr. ex pede oriundâ, utiliſſima ſunt veſicatoria parti mittenti applicata, quale exemplum refert *Trallianus*, adhibiti cum ſucceſſu hunc in finem lepidii. Apud *Heerium* item elegans exſtat obſervatio applicati hunc in uſum butyri ℥ii, *obſ. 23. p. 275.*

Vel, & ſecundariò quidem, *partes ſolidæ* quoque, ut têla, ſagittæ, globuli plumbei, ceu dictamnus eo nomine celebris eſt. Ictus erat v. gr. quidam ſtudioſus globulo plumbeo in pede, eximi verò inſtrumentis renuebat, cogitatum de potione vulnerariâ, quæ adjuvaret naturam, & præſcripta eadem feliciter ex radice dictamni, &c. nimirum adjuvant hæc naturam, quatenùs fluxiles magis reddunt humores, poroſque dilatant. Pertinet huc experimentum *Arculani com. in l. 9. Rhaſ. c. 41. p. 287.* ubi ad extrahendas res infixas auribus, & quaſcunque alias in aliis locis lacertam vivam vel vix mortuam applicare jubet cum capite, & per tres horas deligatam retinere.

Evacuandi fine parti affectæ ipſi, nî quid prohibeat; revellendi verò, parti oppoſitæ, vel remotiori adhibentur. Sic in *ophthalmiâ, dolore capitis*, applicantur veſicatoria nuchæ, ſeu parti cervicis poſticæ: Sic in *ophthalmiâ* commodè applicatur plantis pedum burſa paſtoris, &c.

Attrahunt verò eadem vel 1. *vi vacui*, ut *cucurbitulæ*, ſive cum, ſive ſine ſcarificatione. Conveniunt hæ v. gr. ad extractio-

tractionem materiæ malignæ, in *bubonibus peſtilentibus* & ſimilibus. Sic & eædem in *colicâ flatulentâ* & ſingultu attrahunt & diſcutiunt. Quin *Heerii* experimento ad veſicas excitandas commodè adhibentur, ſi diutiùs permittantur cuti adhærere, intra horæ ſcilicet ſpatium, & ſingulis quadrantibus admotâ flammâ repetatur appoſitio.

Vel 2. *motione doloris*, aſperis & acutis particulis, pungendo: unde pertinent huc *panni aſperi*, *frictiones* iisdem præſtitæ, item *urticationes*, quæ frequentiſſimi ſunt uſus in paralyticis & membris atrophiâ laborantibus. Dolor verò adjuvat attractionem, & allicit humores, tum per ſe irritando archæum, tum, quòd pediſequus quaſi eſt acrimoniæ & caloris, unde hæc non opus eſt latiùs excutere. Sic in affectibus ſoporiferis, lethargo, hæmorrhagiis nimiis &c. locum inveniunt. Alii, v. gr. *Mercatus lib. 2. de recto præſid. art. med. uſu cap. 8.* addunt etiam

3. *Suctum*, quale exemplum attractionis videre eſt in hirudinibus; attamen eo caſu evacuatio eſt manifeſta, adeoque illa tractio hîc locum minùs habet.

Vel 4. quod propriè hujus loci eſt, *igneâ & urente qualitate*, quatenùs nempe ignem occultum ſecum poſſident, ſeu potiùs ſale acri, inprimis volatili admodum ſunt imprægnata, unde attrahentia ſunt calida à ſecundo completo ad tertium & quartum gradum uſque, tenuitate ſimul gaudentia, ſubſtantiâ terreſtri retusâ, ne diffletur, ſed penitiùs infigatur.

Hæc itaque acutis ſuis particulis cuti infixa archæum irritant, ut advocet humores, & humores ipſi hinc funduntur, & poris dilatatis magis illabuntur, unde illuc potiſſimum colliguntur, ubi uredo hæc parti acceſſerit.

Patet hinc, magnam eſſe attrahentium latitudinem, & ad hæc ſimul omninò ſpectare *rubefacientia*, ſive *phœnigmos*, quæ cuti ſummæ ruborem inducunt; *veſicatoria*, quæ veſicas inferunt; & *cauſtica* ipſa.

Variant nempe ſolùm gradibus, adeoque attractio generis locum tuetur: reliqua ſpecies ejus ſunt, & modum dicunt. Magis verò & minus non variant ſpeciem. Differunt, inquam, gradibus; unde veſicatoria in minori quantitate adhibita attrahunt

trahunt & rubefaciunt: & rubefacientia intenſiori gradu veſicas excitant.

Mitiora v. gr. ſunt, quæ ſecundo gradu calida: *fortiora*, quæ tertio: & *fortiſſima*, uti cauſtica & eſcharotica. Quò calidius nempe eſt medicamentum, eò magis attrahit.

Pertinent & ſuo ſenſu huc ἀποφλεγματίζοντα ipſa, nam & illa attrahunt humores ſalivales & ſeroſos in os ſeu fauces.

Pollent itaque hæc omnia ſalinis ſpiculis, modo per ſe eminentibus, modò cum ſulphure commixtis, & notabile eſt de hiſce quibusdam, quòd extrinſecus veſicas excitent & ruborem, ventriculo verò immiſſa id non præſtent, exemplo ceparum, allii, ſinapeos, neque enim ventriculus tàm citò noxam ſentit, ut cuticula, & vis eorundem ſub caloris & fermenti dominio ſubigitur ſtatim.

Horum *quædam* carpis applicantur ad arcendos paroxyſmos febriles, ut allium, ſinapi, ranunculus flammeus, iberis: *quædam* ſpicula extrahunt, ut narciſſus, dictamnus, gummi hederæ, &c. *quædam* nutrimentum magis alliciunt, ut gummata, ammoniacum, &c. *quædam* ſunt veſicantia, ut cantharides; *quædam* ἀποφλεγματίζοντα, ut euphorbium, pyrethrum, &c.

Inprimis huc ſpectant formulæ & nomina remediorum quædam, quibus uſitatiùs hæc attrahentia inſigniuntur, ſcilicet SINAPISMUS, à baſi dictus, & DROPAX, ſeu *picatio*, quæ differunt tantùm gradibus. *Sinapiſmi* enim fortiores eſcharam inducentes, unde minori etiam circumferentiâ applicantur; *dropaces* verò mitiores, unde tantùm rubefaciunt, & toti etiam membro applicantur, quo de alibi. Dicuntur quaſi pilos evellentia, licet pſilothra ab his ſint diverſa.

Selectiora inter hæc ſunt *ſinapi*, in ſacculo etiam ſolum adhibitum, quod *Hartmannus* nuchæ applicandum jubet ad dolorem capitis, *cantharides*, & *fermentum*, quod, *Galeni* elogio, validiſſimum eſt ad attrahendum, in eo enim eminent quoque partes ſalinæ, & ipſius corporis glutinoſo magmati vis emolliendi adeſt, ut poris magis ea poſſit inſpirari, ceu eo fine & caricæ à quibusdam adhibentur, loco excipientis.

Referenda huc quoque *acida* ipſa ſunt, ut acetum, &c.

Digitized by Google

Licet enim ea inter repellentia quoque ſint relata, quatenus humores calidos figunt quaſi & influere prohibent; attamen ob conjunctam acredinem iisdem quandoque mitioribus utiliter maritantur. Sic evporiſton attrahens eſt *cataplaſma ex fermento & aceto,* quod in doloribus variis, v. gr. pleuritide, cephalalgiâ, item ſingultu, vomitu, præcipuè cum *aromaticis* mixtum; in uvulæ laxitate & tumore cum *ſuccino* bregmati impoſitum, inſignis eſt utilitatis.

In ſpecie mitiora & rubefacientia conveniunt in paralyſi, & atrophiâ, ubi urticationes inprimis locum habent, & jam dictis caſibus aliis.

VESICATORIA in ſpecie nomen habent ab effectu, quem edunt, excitant enim veſicas, modò unam majorem, ſi ritè operentur, modò plures parvas.

Materia uſitatiſſima & commodiſſima ſunt *cantharides,* quæ cùm ſint duplices, vel noſtrates, vel Hiſpanicæ, vetuſtæ vel recentes, hæ, ſi haberi poſſunt, illis præferendæ.

Accuſantur cantharides, quòd infeſtæ ſint veſicæ, & non ſolùm internè propinatæ ſal quoddam acerrimum, quo pollent, in urinam liquent; ſed etiam exteriùs capiti impoſitæ eandem mirè afficere dicuntur, & per externum hunc contactum ſolum exulcerare partes internas, evocare ſanguinem per mictum cruentum &c.

Sed verum quidem eſt, interius, ſi incautè propinentur, noxam ab iis afflari veſicæ, & oriri ardorem ſummum, mictum cruentum, & alia incommoda; externè tamen id rariſſimè contingit, neque forſan niſi in illis qui tenerioris ſunt texturæ, ut effluvia hinc citiùs recipi, & cum lymphâ communicari poſſint, adeoque ad renes vehi. Nos ſanè nunquam illum effectum obſervare potuimus, licet ſæpiſſimè veſicantia applicuerimus.

Quoad FORMAM EXTERNAM, adhibentur cantharides vel in formâ *unguenti,* cum theriacâ v. gr. rariùs verò cum aliis pinguibus, pinguia enim obtundunt hanc attractionis vim: Vel in formâ *cataplaſmatis*, addito fermento & ſemine ammeos, quod pro vero cantharidum correctorio vulgò habetur, id verò

tanti

tanti non eſt, ut opus ſit, ſemper addere. Adjuvare potiùs ſtatuerim vim attrahentem.

Adhibentur hâc formâ, cataplaſmatis puta, ſæpiùs veſicatoria, ſed incommodi id habent, quòd ſemper de novo ſint reparanda, neque tàm firmiter cuti adhæreant, quin præſcriptum terminum emplaſtris contrà facilè excedant.

Rubefaciens ſeu veſicatorium mitius tale eſſe poteſt:

℞. *ſinapi flavi acuti* ℥ij. *euphorbii* ʒß.
fermenti & ✠*ti ſcyllit.* ana q. ſ.

Forti⁹: ℞. *fermenti acris* parum, ℥ß. circiter,
canthărid. abſciſſ. alis & ped. quod pro correct. habetur, ʒß.
caric. pingu. n°. j. *ſem. ammeos* ℈j.
aceti ſimpl. vel ſcyllit. q. ſ. M. F. cataplaſma.

Nota: cùm cantharides admodum leves ſint, & quinquaginta & plures longè vix ʒj. pendant, meliùs præſcribi eas pondere, quàm numero, quod quidam faciunt, excepto, ſi mitiùs velimus attrahere.

Quæritur verò, *an acetum, quod communiter addi ſolet, rectè admiſceatur?* Pro negativâ facit, quòd acetum partes ſalinas acres figit, & acrimoniam infringit, ut ſinapi aceto præmacerato utimur pro intinctu, quod ſine illo tolerari non poterat: cepe, allia, raphanus, arum cum aceto miteſcunt. E quo non ineptè concludit negativè *Martianus comm. in Hipp. p. 382.* Addi poteſt, quòd acetum repellat & refrigeret, quod contrarium eſt indicationi, maximè, ubi malignitas ſimul concurrat.

Decidi res facilè poteſt, ſi & quantitatem mediocrem aceti attendamus, & formam, quâ adhibetur: hoc enim modo acrimoniâ ſuâ auget vim, neque, diſperſo per fermentum corpore cantharidum, adeò infringere vim earundem poteſt; quin corrigentis vicem ſubit, unde in hâc formâ modicum aceti, licet mitiget medicamenti vim ex parte, non nocet. Alii 🜋 eligunt.

Omnium verò optimè conficiunt veſicatoria, ſi cantharides vel ſimplici cerato ex cerâ & terebinthina impaſtentur, ſine aceto, vel cum alio quodam emplaſtro, v. gr. *defenſivo viridi Würzii &c.* vel *emplaſtro veſicatorio Horſtii* utamur.

Applicatum hoc magnitudine debitâ, elapſis quatuor, quin-

que, vel ſeptem horis veſicam excitat, quæ, niſi ſponte rumpatur, diſcindenda, & hinc communiter folium braſſicæ applicare ſolent, donec conſolidetur: vel emplaſtrum album coctum, vel de ſpermate ranarum imponi poteſt, pro leniendo dolore; quem in finem etiam elegans *unguentum* ex ſambuco habet *Riverius in obſerv. communic. p. 657.* ad dolores ſcilicet veſicantium.

In uſu habemus, ut revulſio & evacuatio fiat præſentior, adeoque fluxus diutius duret, miſcere hinc *emplaſtri veſicatorii* ana cum *emplaſtro albo cocto*, ſive *de ſpermate ranarum*, quod defendit, & ſimul apertum ſervat fluxum, quâ ratione ad unam vel alteram ſeptimanam ſervavimus aliquando apertum, pro indicantis urgentiâ: id verò tonſoribus difficile ſæpe eſt imprimere.

Patet jam ex dictis, quòd veſicantium uſus nobiliſſimus ſit in defluxionibus à capite ad oculos, aures, & alias partes: in hemicraniâ, ophthalmiâ, febribus malignis, dolore coxendicis, doloribus profundis, & partibus carnoſis. Quoad *locum* enim apponuntur ponè aures, in nuchâ, interdum & in ſuturâ coronali, aliiſque partibus carnoſis. Vid. *Mynſicht. armam. chim. ſect. 29.*

Quoad USUM legitimum verò attrahentium horum in genere, notanda eſt regula *Galeni lib. art. med. cap. 85.* Duo, *ait*, ſimul invitant ad calidorum pariter atque acrium medicamentorum uſum, & *ſummæ partes, quæ dolemnt, & profundæ, quæ egent.*

Poſito ſcilicet indicante, cogitandum utique eſt, *an adhibendæ ſint?* Sic *non conveniunt* 1. *niſi præmiſſis univerſalibus.* Concordant hoc in caſu veſicantia cum diaphoreticis. Hæc itaque, & diſcutientia, ſi præmiſſa fuerint, idque fruſtrà, ſine ſucceſſu, utiliter adhibentur, ne nempè materia nimis copioſè ad cutem trahatur.

2. *Ubi vehemens influxus, iis non utendum:* ibi enim & fluxus ipſe magis augetur, & ſymptomata alia inducuntur, febris, dolor, vigiliæ, & pars fruſtrà cruciabitur. Adeoque eo caſu potiùs repellentia, diſcutientia, & mitigantia conveniunt.

3. *Non, ubi inflammatio eſt, vel pars ipſa alio modo debilis.* Uti enim ſoli cuti adhibentur attrahentia, ita, ſi ipſa patiatur jam,

Digitized by Google

jam, afflictæ non addenda eſt afflictio. Sic cruribus œdematoſis & hydropicis cautè applicanda, ut plurimùm enim gangrænæ periculum infauſtum reddit ſucceſſum.

4. *Non articulis, ne magis debilitentur, & fluxus eò derivetur.* Unde fruſtrà quis ea in arthritide adhibuerit, & cum noxâ. Vidi quendam textorem proprio auſu cùm arthritide ſcorbuticâ manuum laboraret, urticatione uſum, ferè hinc motum manuum perdidiſſe. Leniora verò non nocent, ut balnea formicarum, quippe quæ diſcutiunt, evocant, & unà roborant.

5. *Non, ubi improportionata eſt materia.* Sic memini, medicum veſicatoria appoſuiſſe ventri mulieris hydropicæ, magno cum cruciatu, nullo cum levamine.

6. *Si attrahendi nutrimenti gratiâ adhibentur, hinc conveniunt emplaſtica*, ne transſpiret iterum, quod in uſu partis & vigorem appulit, ut poſt frictiones, & inunctiones, ex commendatione *Hartmanni pr. chimiatr. c. 13. 4.* adhibetur commodè radix ſymphyti in aquâ fontanâ decocta, & formâ cataplaſmatis membris calidè applicata.

Lib. I. Sect. II. Caput VII.

De
Cauſticis & corroſivis.

A Veſicantibus, quæ ferè magis in ſale volatili conſiſtunt, digreſſi offendimus caustica, quæ magnam iterum habent latitudinem, unde & varia ſortiuntur nomina.

In genere cauſtica adhibentur vel *ſanâ & integrâ cute* vel *diviſâ & malè habente:* illa corrodendi & eſcharam inducendi fine; hæc extergendi, exedendi & abſumendi ſcopo. Commune nomen cauſticum eſt; ſed gradus eorum ſunt diverſi.

Indicans ſcilicet corroſivorum eſt 1. *humorum vitioſorum allectio*, ut evacuentur, deriventur, vel revellantur; 2. *ſolidorum p. n. exreſcentium abſumtio.*

Digitized by Google

Diviſâ cute & male habente magis adhibenda *primo gradu* ſunt, extergentia, ſive citra morſum inſignem exſiccantia, ex nihilo, pompholyge, conchis uſtis, magiſterio ♄ni, lapide calaminari, ceruſsâ, ☿ dulci, lacte virginis, liquore lithargyrii, calcis vivæ, &c. quæ ferè cauſticorum nomen non merentur, aguntque potiſſimùm ob vim terream & metallicam exſiccantem, cum vi ſalinâ, aut retusâ & debiliori, & locum habent in ulceribus humidioribus, ſordidis etiam, nec facilè cicatrice coëuntibus.

Secundo gradu ſunt *exedentia*, ſive *exedendo extergentia eminentiùs:* utraque vel *ſicca*, vel *liquida*, vel *media*, quæ præter terreas particulas gaudent ſalinis acribus magis vel minùs particulis, ex *vegetabilibus* v. gr. pulvis ſabinæ, quæ in fungo cerebri, & verrucis penis exedendis eſt eximia, cineres item, ut cinis tabaci, quem ſæpe cum ſucceſſu ſolent inſpergere ulceribus; ex *Mineralibus*, ⊕, O uſtum, ⊖lum album, ☠ ⊖li, ☿tus, & ex his parata, unguentum Ægyptiacum, fuſcum Würzii, aqua viridis Hartmanni. Inter hæc ſicca abſumunt etiam magis, quod ſuperfluum eſt, unde & luxurianti carni conveniunt, caruncula penis abſumunt, protuberantias alias auferunt, mollia mundificant, & gigni prohibent magis extranea; humida purificant & abſtergunt.

Notandum 1. *exſiccantia & extergentia terrea & ſimul ſulphurea in affectu nervis,* ſi v. gr. puncti ſint, *magis proſunt,* unde inſignis utilitatis pulvis hanc in rem fieri poteſt è *rad. ariſtol. euphorb. lap. calam. irid. Florent.* &c. qualis videri poteſt apud *Scultetum in armament. chirurgico.*

2. *Eadem, ut & inprimis oleoſa, acria, & atherea oſſium corruptelis & cariei conveniunt;* Sic euphorbium inſperſum potentiſſime cariem ſeparat. Sic oleum caryophyllorum, cùm aliàs oleoſa oſſibus maximè ſint inimica, eidem ſcopo utiliter inſervit. Utriſque verò maximè nocent pinguia & oleoſa adipoſa.

3. *Salina* verò *magis laxis tumoribus & putrilaginoſis eximiè proſunt.* Sic lapis medicamentoſus tùm aliàs in ulceribus variis egregiè ſe gerit, quo de uſu inter alios latè agit *Crollius in baſil. chim.* tùm hæc ipſa etiam in gingivarum putrilagine proſunt: uti

Digitized by Google

uti v. gr. lapis medicamentoſus in aquâ liguſtri, plantaginis, tormentillæ, ſolutus, alumen uſtum cum melle & nuce moſchatâ, pulvere aquilegiæ, &c.

Integrâ & ſanâ cute adhibenda cauſtica propriè quaſi hoc nomen merentur: dicuntur enim, quòd in potentiâ vim ignis poſſideant, unde à calore noſtro actuata eſcharam inducunt.

Uti enim notum eſt, *cauteria* eſſe *duplicia: actualia*, quæ igne fiunt, & *potentialia*, quæ medicamentis: ita hæc talia ſunt potentialia, quæ aliàs dicuntur *eſcharotica*, quòd cruſtas ſeu eſcharam inducant, *corroſiva*, *erodentia*, *ῥηκτικά* ſeu *ruptoria*, quæ cutim & carnem penetrant.

Solent equidem hæc & diviſâ & malè habente cute in certis caſibus adhiberi, ut in tumoribus & ulceribus fungoſis, abſumendi fine; veruntamen integrâ & ſanâ cute applicari conſueverunt, de quibus jam dicemus quoque, alius finis gratiâ, nempe ut humores evacuemus, unde hæc ipſa materiam conſtituunt fonticulorum, hæc abſceſſus rumpunt, ſicubi ferrum timetur, & pus tamen intus exitum ambit, &c.

Præſupponimus ergo denuò, quòd hæc agant ob vim ſalinam utroque extremo excedentem, ſive ſint alcalina, ſive acida; illâ tamen differentiâ, quod alcalina eſcharam nigram fabricent, & poſt ſe relinquant, acida verò, quòd ſulphur ſimul obtundant, candicantem, actuata quippe à calore nativo, nec enim veſicatoria in cadavere veſicas excitant, nec cauſtica eſcharam producunt, ceu in animato corpore pellem criſpare ſolent.

Reſolvunt quaſi in putrilaginem cutim, ubi maduerint, penè ut calx viva caſeum, ut loquitur *Hamel p. 428. de corp. affect.*

Selectiora *alcalina* ſunt, v. gr. *lapis corroſivus*, ſive ex cineribus fraxini, quod vult *Simon Paulli*, ſive potiùs è lixivio ſaponariorum fortiori paratus, quod *capitellum* vocant. Dicitur enim lapis impropriè, & reverà eſt ſal alcali acerrimum, unde & obturandum eſt vas, in quo lapis iſte ſervatur, teſſellatim ſectus, ne aeris acceſſu liquefiat, &, quando in uſum vocatur, ſalivâ parum humectandus, ut eò promptiùs ſpicula ſua infigat. Valet enim & hoc loco *ſalia non agere*, ſcilicet eo modo, eâ vi & *ἐνέργειαν* *niſi ſoluta*.

Quæ-

Digitized by Google

Quæſtio eſt non levis, *an detur cauterium indolens?* & reſpondetur rectè, ſi reſpectivè loquamur, *quòd ſic:* quæ enim ſunt majoris activitatis, & extemplò partem corrumpunt, paucum vel nullum dolorem creant. Tale cauterium præbent *cryſtalli* ☽æ ex argento cum 🜅 parati. Videmus quin imò id quoque in corpore, non ſolùm externè in gangrænâ & ſphacelo, ubi mechanicè quaſi & eleganter fas eſt ejusmodi concipere ſal cauſticum & corroſivum; verùm etiam in dyſenteriâ indolente, quando tàm ſubitò acrimonia ſumma partibus membranoſis accedit, ut ſenſum ſtatim omnem auferat, unde abſolutè tunc lethalis eſt.

Ad cauſtica hæc etiam pertinet 🜺 & 🜻, quæ & ſolâ corroſivitate ſunt venena; attamen in uſum non veniunt, vel cedere debent, niſi nitro bene fuerint correcta & mitigata, neque circa partes nobiliores: mitigata verò, fixata, & quaſi dulcificata etiam in cancro locum habent arſenicalia.

Inter *acida* principem locum tenet *butyrum* ♁*ii*, & hinc alia quoque, ut 🜅, ∽tus ⊖*li*, *ſimplex* & *philoſophicus*, oleum ⊖li, ſalis, quod ſpiritus concentratus eſt, & his imbuti globuli, &c. item 🜖∽tus &c. Dantur & *media* quædam corroſiva, v. gr. *magnes arſenicalis* ex 🜺, ♁ & 🜍re.

Sic conveniunt hæc in bubonibus peſtilentibus & venereis rumpendis & abſumendis, ſeu in tumoribus aperiendis, benignis & malignis.

Sic in gangrænoſis partibus corroſiva partem corruptam à ſanâ ſeparant, uti v. gr. butyrum ♁ii commodè eo caſu applicatum. Videatur *Hartmannus in praxi.*

Sic etiam in ulceribus ſordidis, ſinuoſis, fiſtuloſisque proſunt, ad auferendum callum, quo ſine ſi fuerit, nulla conſtans curatio ſperanda eſt.

Pertinent adeò huc omnes utilitates, quas ab uſu fonticulorum exſpectare licet.

Sunt & quædam, quæ in hæmorrhagiis ſiſtendis opem ferunt, v. gr. acetum, ∽⊖li, quæ v. gr. in hæmorrhagiâ faucium à Venæ Sectione &c. contractâ, ſiſtunt ſanguinem. Sic & vitriolum album, & alumen hoc paſſu proſunt, conſtant enim ſimul vi con-

Digitized by Google

conſtipante. Acribus verò ſolis non eſt fidendum, unde, ſi quæritur; *an cauſtica & corroſiva ad hæmorrhagiam ſiſtendam ſint adhibendi*, v. gr. ☿, ∞, ☺, negat ſanctè *Mindererus medic. milit. p. 323.* quia 1. irritant vulnus, 2. maxima ſymptomata, mortemque ipſam ſæpe inducunt. Cogunt quidem initio, *addit*, venas, & adſtringunt corroſivitate ſuâ; ſed poſtmodum corrodunt inſtar ignis infernalis.

Sic in gummatibus Gallicis, verrucis, quin & nævis abigendis conveniunt, modò caute applicentur. In genere enim qui APPLICANDI MODUS eſt, 1. *Ad corroſiva non deveniendum*, præſertim fortiora, *niſi urgens adſit indicatio*, unde ſæpe integrâ cute & ſanâ tutius adhibentur, quàm in ſtatu p. n.

2. *Minus conveniunt obeſioribus & macris admodum: magis carnoſis:* in *illis* enim facilè affluxum promovent; in *his* abſumunt utilem humorem. Vid. *Rhodius analect. p. 618.*

3. *Minùs* ratione ætatis *conveniunt cauſtica puerulis & infantibus* ob tenellum corpuſculum, quod graviora minùs fert præſidia, unde & nutrimentum ſæpe abſumitur.

4. *Non conveniunt partibus delicatioribus*, ut oculo, *extremis, mollioribus, inflammatis, articulis, nervoſis.* Cautè his applicanda & providè, ne gangræna inducatur, ne vaſa etiam lædantur, ne uratur vena aut arteria inſignis, nervi, aut tendines muſculorum: unde fonticuli optimè fiunt in interſtitiis muſculorum. Sin adſint urgentia, ſive pus evacuandum, ſive abſumendum noxium, non omitti debent. Sic ad rumpendum abſceſſum in mammis, item in teſte ipſo eodem fine adhibuimus corroſivum.

5. *Videndum eſt, ne quid minus agant, quam debent, &, ne quid nimis.* Hinc partes vicinæ ſunt defendendæ: hinc ad fonticulum parandum lapis corroſivus, impoſito priùs emplaſtro cum foramine, loco ſignato & definito, applicatur: hinc, ſi butyrum ♃ii adhibetur, pennæ cavitati inditum apponitur, ſtrictior etiam ligatura hoc fine convenit, & marginibus definitis. Sic & veſicatoria teſtâ nucis circumſcribi & firmari ſolent aliquando & cauteria actualia ferreâ laminâ. Terminus itaque abſumtionis metiendus eſt ad naturalis ſtatus leges; eroſionis

verò, donec ad fluxum perductum ulcus, hinc cruſta non ſtatim detrahenda; ſed, quando mutari incipit, &, maturitate quaſi per digeſtivum unguentum inductâ, excidit ac ſeparari poteſt, unde hinc apertum tenendum ulcus.

6. *Magis conveniunt in frigidis affectibus*, ubi evacuandi fine id fit, *quàm calidis*, quia & tenues humores magis funduntur, & morâ opus eſt.

7. *Cauſticis ad hæmorrhoides & vitia inteſtini recti abſtinendum*, quia fluxionem magis promovent, & pars eſt delicata.

8. *Cancro exulcerato cauſtica ſunt periculoſa*, quin in omnibus tumoribus, qui cancrum occultum æmulantur, conſultius eſt, abſtinere. Cancer enim non eſt irritandus, unde oraculi inſtar habendus *aphor. 38. ſ. 6. Quibus cancri occulti naſcuntur, non curari præſtat. Curati enim ſubitò intereunt; non curati verò diutius vivunt.* Unde rectè *Heurnius in comment.* ſi illam fœditatem, *inquit*, cauſticis caſtigare volueris, ſurget alterum, quod in cancris venenum eſt corroſivum, ac vicina cuncta exuret. Vidimus hujus rei triſtia aliquot exempla, adeoque cautè hic mercandum.

9. *Uti adhibentur cauſtica poſt alia remedia fruſtrà tentata: ita corpus ipſum* univerſalibus evacuantibus, mundificantibus ſanguinem, & victu *bene eſt præparandum.*

Sicut verò attrahentia & veſicantia ſerum ex glandulis ſubcutaneis, quæ ferè ſunt innumeræ, eliquant & ſub cuticulam cogunt, cauſtica verò poros ipſos exedunt ac abſumunt obviam & cuticulam, & cutem ipſam; ita ab his non differre patet ipſa SEPTICA ſeu putrefacientia impropriè dicta, niſi velimus gradibus eadem diſtinguere, quod ipſa calidum & humidum partis cui applicantur intimius deſtruant.

Contra ea faciunt huc LÆVIGANTIA, multum cum emollientibus convenientia, ſuntque talia inprimis oleoſa, temperata, dulcia, gummoſa, mucilaginoſa, quæ complanant quaſi poros exaſperatos, acrimoniam internè & externè mitigant, & blandâ humiditate parietes divulſos demulcent.

Libri I. Sect. II. Caput VIII.

De Pſilothris.

Rarioris in praxi ſunt uſus, unde ferè magis eam ob cauſam cognoſcere eadem utile eſt, ut ab iis cavere, vel læſionem eorum avertere & curare queamus, quàm ut in uſum vocentur. Solent tamen quandoque conſuli medici, ut pilos exſtirpent, licet utplurimum ſucceſſus non ſequatur conſtans. Hoc caſu uſitatiſſimum eſt ſimplex pſilothrum ex calce vivâ & auripigmento, vel *unguentum de calce vivâ Mynſichti*, quod apud ipſum videri poteſt.

Turcæ ſuum habent *ruſma*, nonnullis, ut *Schwweigero*, quaſi *χρίσμα unguentum* dictum corrupte, quo ſe in balneis depilant. Hoc licet ſint qui mineralis ſpeciem peculiarem eſſe velint, ſcoriæ ferri perquam ſimilem, vel vitrioli de proſapiâ, vix tamen differre à recepto & noto hoc jam dicto remedio fidem facit *αὐτόπτης* teſtis *Troilo itinerarii Orientalis p. 639.* vocans unguentum aurei coloris, (qui auripigmenti eſt) quod cum calce vivâ conſiat, quo pudendas inungant partes, ut depiles, quas volunt, reddant, ſimul ac deſuper ſudare incipiant. Nihilominus tamen iterum ſuccreſcunt pili ablati, ceu latiùs id deduci poſſet.

Sunt verò & hæc ipſa cauſtica; attamen mitiora, quæ & poros cutis circumfodiunt quaſi & deſtruunt, viſcidum pilorum nutrimentum fundunt, liquant, ſuffurantur. Experimentum *D. Fauſti* memoratur, inuncto *felle anguillæ* pilorum proventum inhiberi; ſed, licet & radicetenùs extrahantur pili, difficile fuerit, conſtans & infallibile, ac in omnibus ſuccedens reperire, quale quidem *Helmontius* ſibi notum fuiſſe ſcribit, liquorem ſcilicet, quo leniter intincta manus, & exſiccato, ſi mentum viri attingeret, paulò poſt excidere pilos barbæ, ſuperciliorum, ac totius capitis *l. Butler inſcripto.* Pertinent ad coſmetica.

Digitized by Google

Lib. I. Sect. II. Caput IX.

De Travmaticis.

Maturantia & *ſuppurantia* propriè quidem ad vulnera non pertinent; attamen ad rumpendum abſceſſum, & ut aperiri commodè poſſint, faciunt, vulnere verò jam facto conveniunt *digeſtiva*, humores magis aptantia, ceu de utriſque jam ſub emollientibus diximus, unde & hîc

Suppurantia, & conſequenter etiam *digeſtiva*, ſunt 1. *calori ſimilia*, adeoque calida & humida, unde cataplaſmata, pinguia, mucilaginoſa, aliaque jam tacta huc pertinent. 2. *emplaſtica*, ob eandem cauſam, quæ poros blandè obſtruunt, caloremque nativum cohibent & roborant.

Hinc *videndum* 1. *quibus conveniant ſuppurantia*, nempe *tumoribus ſangvineis*, qui ſunt *indicans* eorundem, ſiquidem ſanguis extravaſatus in pus mutatur; qui verò tumores ab his ſecedunt, minùs eadem poſtulant, ſive collectio ſanguinis tanta in tumorem non fiat, adeoque diſcuti vel in vaſa remeare poſſit: unde in eryſipelate, elogio *7. aphor. 20.* eadem non ſine noxâ quis adhibuerit. Sic in malignis tumoribus, & venenatis, vix feliciter operantur; atrabilariis verò præcipuè, ut in cancroſis, non conveniunt. Sic minùs etiam in partibus naturâ debilibus, ſic non in internis partibus, ſicubi extravaſatio fiat, locum habent; ſed ibi tantùm reſolvendum eſt, v. gr. in pleuritide, adeoque ſuppurantia tantùm externè propriè; internè verò maturantia quidem & humores coquentia, non item talia ſuppurantia proſunt.

Apprimè verò locum habent in furunculis, abſceſſibus, & tumoribus, qui in hos abeunt, ex ſanguinis confluxu: vel tamen non ſine ſanguine, ut in glanduloſis tumoribus, qui difficulter etiam ſuppurantur.

2. *Videndum verò, an impediri poſſit, antequam indicetur*, ſive diſcutientibus, ſive reſolventibus, &c. ſin minùs, citò promovenda, ſeu eorum applicatione natura adjuvanda.

3. *Non*

Digitized by Google

3. *Non exſiccantia inter ſuppurantia conveniunt*, ejus enim naturæ ſunt contraria. Videndum item

4. *Ne ſordida reddant ulcera*, adeoque humida quidem debent eſſe, non tamen exceſſivè.

Patet ergo ex his, & ſub emollientibus jam latè dictis agendi horum vis, materia, & adplicandi modus.

Quod verò travmatica attinet, in genere, illa ſunt vel *interna* vel *externa*. Et utraque quidem indicantur ab unitate ſolutâ in genere, ſive ſint *vulnera*, cæſim & punctim facta, ſive *contuſiones*, præcipuè cum læſione partium interiorum, ſive *ulcera*, phthiſis, fiſtulæ, & alia, ſive *rupturæ*, & *orificia vaſorum aperta*, ut hæmoptyſis, mictus cruentus, dyſenteria, caſus ab alto inprimis, &c. in quibus omnibus vulneraria hæc apprimè conveniunt, quâcunque formâ, pulveris, extracti, & inprimis potionis adhibita.

Quantum verò ad agendi modum ſpectat, præſuppoſito, quòd ſangvis ſit partium omnium alimentum, neceſſe etiam eſt, læsâ unitate hoc ipſum fatiſcere, & conſequenter ad hoc reſpiciendum, ut ad conſolidationem partem læſam aptiùs disponat.

Potiſſimum verò *duplicis* ſunt *generis*: vel 1. *natura alcalina*, quod inprimis apud *Helmontium* reperias latiùs discuſſum. Ille enim non ineptè ſtatuit, in quovis vulnere aciditatem, (per analogiam quandam, ut mox dicemus,) omnis in carne putredinis indicem atque ſociam, oboriri, hanc verò alcalia facilè in ſe abſorbere & abſumere, hinc omnes potiones vulnerarias occultum alcali, & quidem volatile in ſe continere, ſi accidentibus ex corruptione acoris natis reſiſtere debeat, quatenus alcali quodvis omnem aciditatem, quam attingit, perimat, & iterum herbas vulnerarias virtute cujusdam innati alcali operari, *lib. à ſede animæ ad morb. t. 20.* hinc & diuretica eſſe vulneraria ſcribit *de lithiaſi cap. 5. §. 17.*

Liceat hîc applicare locum elegantiſſimum *Galeni lib. 2. aphor. comm. 17.* de acore ſanguinis, ubi, quod in vinis aceſcentibus, *ait*, accidit, tale quiddam & in ſanguinis alteratione contingere. Cùm itaque in vulneribus & ſanguinis tonus alteretur, & adeo-

Digitized by Google

rundem ſanationem neceſſariò concurrat; hinc travmatica ſunt, quæ & acorem abſorbent, & ſanguinis tonum conſervant: quin & acres & ſeroſos humores temperant, & moderatè detergunt. Talia verò apprimè ſunt alcalina jam dicta, v. gr. lapides cancrorum, qui & in ſuprà dictis vulneribus opem ferunt, & bulliti cum vino lixivioſum ſaporem acquirunt. Ita & ♁ium diaphoreticum in ulceribus externis intra corpus optimo conſilio aſſumitur: ita & ipſum antihecticum Poterii hanc ob cauſam in phthiſi convenit: & plantæ travmaticæ dictæ, id eſt, quæ vel nitroſâ detergente gaudent facultate, vel adſtrictorium quid & terreum poſſident, ſanguinis tonum reſpiciens. Unde *Spigelius iſag. in rem herb. l. 2. c. 4. p. 151.* Multæ, *ait*, plantæ recentia vulnera glutinare poſſunt, imò, auſim credere, *addit*, ex tribus plantis unam ſemper hâc vi pollere. Loquitur quidem de externo potiſſimùm uſu; attamen & de interno idem valet. Talia interna ſunt: veronica, betonica, hedera arborea, & terreſtris, pyrola, radix prim. veris, ſcrophulariæ, &c. & ex his paratæ aquæ, eſſentiæ, &c. qualis eſt eſſentia travmatica *B. Rolfincii in chimiâ* deſcripta, quæ videri poteſt: extracta, ut extr. pyrolæ, ſaniculæ, ſcabioſæ, ſimplex & ſaccharatum, quæ & in phthiſi utiliter adhibentur. Reſiſtunt hæc quàm maximè putredini, & ichores p. n. in ordinem redigunt.

Vel 2. *balſamica* ſunt *naturæ*, & ſale ſuo volatili oleoſo, roborante ſimul & adſtrictorio ſanguinem vigorant. Sic refert *Febure* alicubi *in tract. chim*, quendam chirurgum in quibusvis vulneribus ſtatim propinâſſe nucem moſchatam, ut balſamicâ hujus vi vigoraretur ſanguis, & hinc ad conſolidationem omnia aptiùs diſponerentur. Videndum ſolùm, *ne quid nimis*

Eadem hæc utriusque generis externè & immediatè applicata faciunt inſigniter officium. Sic & ſulphura balſamica, balſamum ſulphuris in pectoris affectibus, cinnabaris nativa, ſulphur antimonii fixum, balſamum antimonii in iisdem affectibus eximiè proſunt, &c. Utut verò interna hæcce non materialiter ad vulnus properent remotum, diſponunt tamen ſanguinem, ut coire aptius longè poſſint diviſa. Pro interno hoc uſu

uſu celebres admodum ſunt potiones vulnerariæ, non negligendæ & in gravioribus vulneribus ulceribusque.

Notandum tamen, minùs has convenire 1. *in principio* durante adhuc affluxu, ne impellantur magis humores ad partem affectam. 2. Minùs etiam *in vulneribus capitis*, quæ ſiccantia magis externè; internè verò abſorbentia nervina magis deſiderant: magis in artubus & aliis viſceribus læſis. Reſolvunt enim ob eandem ſuam vim grumoſum ſanguinem, & firmant ejus tonum. 3. Reſpiciendum etiam ſimul eſt *ad ventriculum*, ne inde lædatur.

Notabile eſt travmatica hæc eſſe ſimul reſolventia, ſeu grumos diſſolventia pleraque, utriusque generis: ut lapides cancrorum, ſarcocolla, myrrha, millefolium.

Ejusdem commatis ſunt & externa travmatica, *ſarcotica*, ſeu carnem generantia, nempe

1. *Modicè ſiccantia*, terreæ & ſalinæ ſeu alcalinæ naturæ, ut *ceruſſa, pompholyx, litbargyrium*, &c. quæ & leniter adſtringunt ſimul & roborant, & impedimenta removent, & ſuperfluam humiditatem abſumunt, abſorbent, & parietes ac carnem firmant, ut ſanæ ſimilis reddatur, nec luxuriet, unde ad cicatricem apta redduntur vulnera & ulcera.

Sic & ſola *linteamina carpta* ſæpe & in quibusdam caſibus, v. gr. unguium & partium aliarum excarnium vulneribus ex uſu ſunt.

Sic pulveres talismodi abſorbentes ſæpe ulcera contumacia & coire renuentia, ob humiditatem nimiam & parietum laxitatem, conſolidant, quod aliquoties obſervavi; Unde regulæ inſtar eſſe poteſt: *Ubicunque ulcera ſuperfluâ luxuriant humiditate, ibi ſiccantia modicè & firmantia apprimè, & præ oleoſis & emplaſticis conveniunt.*

Sic & lapidum cancrorum pulvis inſperſus, ſaccharum item Canarienſe vulnera recentia ſanat, ſtatim enim quaſi condit carnes & partes læſas, ut de balſamico ſuo vigore non remittant, nec pus concipiant.

Ita conſolidavi ulcus à ſuppreſſione menſium ortum & fotum ſolo pulvere ex ceruſſâ, nihilo, lacte lunæ, myrrhâ, &c. quæ

Digitized by Google

qualem deſcribit *D. D. Major de lacte luna.* Alium novi, qui ſolâ pompholyge inſperſâ inſanabile viſum ulcus curavit. Nuperrimè fœminam ulceribus eſthiomenis humidis & continuo humore ſtillantibus ſolius ceruſſæ pulveris inſperſione curavi. Quodſi laxiores adhuc ſint parietes, & luxuriet caro, conſtringentia etiam conveniunt. Sic alumen uſtum impedimenta illa inſigniter removet, macht einen guten Grund/ & humiditates omnes potenter exſiccat; item vitriolum album & ſimilia.

Sic & in vulneribus capitis omnem abſolvunt paginam, & unice conveniunt modicè & temperatè ſiccantia, & contra ea, oleoſa omnia, pinguia, unguinoſa, & emplaſtra pinguia nullo modo conveniunt, niſi quis forſan, quæ ſimul nervina ſunt, ut balſamum de Peru, excipiat.

2. *Balſamica*, ſive ſint *gummata & reſinoſa ſimplicia*, ut hypericum, aloe, gummi elemi, quod ad puncturas eximium eſt, maſtiche, thus, &c.

Sive *olea*, tum *expreſſa*, ut oleum ſambuci viride egregium eſt vomitorium internè aſſumtum, & travmaticum externè; tùm *cocta*, ut oleum hyperici rubro ſanguinis colore, oleum momordicæ, ophioglosſæ, &c. tùm *deſtillata*, ſimplicia, ut oleum tartari fœtidum, quod potentiſſimè conſolidat, & in reſolutionibus æque & contuſionibus nervoſarum partium quoque compertum eſt, & cùm cerâ in emplaſtrum coqui facilè poteſt: oleum terebinthinæ, quod intra 24. horas prædicant empirici ad conſolidanda ſimplicia vulnera. Item *balſama*, tùm *nativa*, ut *Indicum*, *de Tolu*, *Capaiba*, tùm *artificialia*, ut balſamum vulnerarium Mindereri ex tereb. g. elemi, & oleo ceræ. &c.

Sive *emplaſtra*, Apoſtol. de gratia DEI, de minio, de beton. quod in vulneribus capitis laudatiſſimum eſt. Et ſanè videas emplaſtra ferè omnia in hoc convenire, quòd vulnera ab aere defendant, & balſamicâ ſiccante unà modicè vi partem demulceant, ceu in ſpecie emplaſtra ſaturnina eo nomine admodùm ſunt celebria.

Notandum etiam ex dictis, non ſequi, quod *Silvius* probabile eſſe ſcribit; alii abſolutè affirmant, *omne ulcus eſſe ab acido.* Sunt enim potiùs ab acri, exemplo veſicatoriorum & eſcharoticorum, neque

neque acida alio quàm acrimoniæ titulo ad eadem patranda concurrunt. Hæc ipſa verò dicta acrimoniam illam reſpiciunt. *Acor* verò *Helmontianus* interdum reverà, interdum, & ut plurimum, analogicè hîc locum habere poteſt, quatenus notat partem à naturâ ſuâ balſamicâ abire, & ad putredinem quaſi fracidam inclinare, de quo alibi latiùs.

LIB. I. SECT. II. CAPUT X.

De glutinantibus.

NOn differunt ratione virium in genere GLUTINANTIA à ſarcoticis & epuloticis. Eadem enim vel ſiccantia, vel balſamica ſunt; ſed 1. gradibus, glutinantia enim ſicciora ſunt ſarcoticis: epulotica verò ſicciora glutinantibus, ſicca ſcilicet effectivè. 2. effectu ſucceſſivo. Sequuntur enim ſe ordine invicem, non poteſt fieri glutinatio, niſi cavitas repleatur & carnes reſarciantur, neque cicatriſatio, niſi glutinatio præceſſerit.

Ut itaque glutinari nihil eſt aliud, quàm coire ac uniri, ita & glutinantia INDICANT eadem *unitatis vitia*, v. gr. tùm vulnera recentia, cruentaque, tùm ſinus & ulcera, remotis priùs impedimentis, rupturæ item, fracturæ, herniæ, & alia.

Inprimis verò expoſcunt eadem hæc vulnera, nimis hiantia, 1. ut adducantur labia, & 2. adducta firmentur: ſeu. debentur & diſtentis labiis, & ipſi hiatui, adeoque ſuturam ſiccam incruentam, Hefftpflaſter/ præbent & efficiunt: quin, ubi ſutura in certis caſibus planè locum non habet, ut in vulneribus palpebrarum, conveniunt glutinantia.

Conveniunt tamen glutinantia hæc magis, ubi ſumma cutis magis affecta eſt, ut & in paullò profundis h atibus; ubi verò profundius & gravius vulnus inflictum, fibulæ magis in uſum trahendæ.

Fit hoc omne MEDICAMENTORUM GLUTINANTIUM beneficio, & inprimis emplaſtri ſpecie. Talia ſunt, uti diximus, 1. *ſiccantia*, lapides cancrorum, calaminaris, antimonium. 2 *adſtringentia*, tormentilla, ſymphytum, balauſt. malicorium, bolus Armena, &c. 3. *viſcoſa* & *emplaſtica*, ſanguis draconis, ſarcocol-

cocolla, quæ in ſpecie ob id nomen nacta eſt, à glutinandis ſcilicet carnibus, item amylum, farina volatilis, &c.

Modus Applicandi non variat partim à jam dictis, partim à dicendis ſub epuloticis.

Lib. I. Sect. II. Caput XI.

De epuloticis & πωρωτικοῖς.

Quod callus eſt in partibus duris, ſeu oſſibus, id cicatrix in mollibus ſeu carne, unde iisdem ferè medicamentis abſolvuntur Cicatrisantia, ſeu *epulotica*, & Callum Generantia ſeu *πωρωτικά*.

Indicantur epulotica ceu ultimus finis ab iisdem unitatis ſolutæ ſpeciebus, quippe ultimum complementum ſeu coronidem curationi & conſolidationi imponunt, wenn es zuheilet / oder verheilet / eine Narbe gewinnet / beſchlieſſet / ꝛc.

Sunt itaque epulotica earum virium, ut *exſiccent*, (& quidem magis reſpectivè, quàm vel ſarcotica, vel glutinantia,) & contrahant ſeu conſtringant carnem, denſent, indurent, & adeò in cicatricem cogant, & hæc ſunt, ceu ſæpiùs diximus, validè exſiccantia, multisque cumprimis partibus ſalinis fixis vel terreis abundantia, unde moderatè quidem calefaciunt; attamen citra morſum & dolorem Notandum enim, vitanda in his eſſe 1. *abſtergentia*, magisque 2. *acria*. Hæc enim non niſi per accidens inter epulotica referri queunt, quatenus colliquant parumper carnem, & cogunt.

Præcedant itaque oportet ſarcotica & glutinantia, ſequuntur epulotica, licèt id in praxi ſemper & in omnibus non ita ſtrictè obſervari vel poſſit, vel debeat, cùm multa ſint polychreſta, quæ ſingula hæc expediant; imò id omne opus eſt naturæ, quæ ſolùm hiſce externis adjuvatur, ut eò promtiùs res ſuccedat, & impedimenta removeantur.

Hinc à priori notandum eſt, 1. vulnera & ulcera alia *faciliùs*, alia *difficiliùs* conſolidari, & 2. cicatriſationem aliam eſſe *fidam*, *conſtantem* & *perfectam*, *revera talem*, aliam ſaltim *infidam*, *fucatam*, *momentaneam*, *palliativam*, *non veram*. Fitque id ipſum vel vitio *totius*, ſicuti plethora & cacochymia cicatricem moratur, unde ad

ad promotionem hujus toti unà proſpiciendum, & vulneribus ac ulceribus conducunt purgantia, & quandoque ipſa V. S. aliaque univerſalia. Hinc videmus in ſcorbuticis, cachecticis, hydropicis, fiſtulis, ulceribus varicoſis, cancroſis, difficillimam eſſe cicatriſationem, quæ quippe aliunde foventur & affluxum habent, & hinc ſæpe multum negotii medico faceſſunt, præcipuè, ſi neglectis univerſalibus ſeu fonte ſaltim rivos attendat, & ſunt ſæpe ejusmodi ulcera quaſi fonticuli.

Vel vitio *partis ipſius*, ſive cavum quod eſt, nondum ſit repletum, tùm ob callum, tum ob defectum ſuccreſcentis carnis, (unde cavum eſt replendum,) ſive caro luxurians adſit, quæ abſumenda, ſive κακοήθεια obſtet, & ulcus, vulnusque ſit malignum, quod hinc κακόηθες & δυσεπουλωτικὸν audit, quod ipſum etiam corrigendum, & affluxus & intemperies quovis modo tollenda, ac acrimonia, ſiqua adeſt, mitiganda eſt; ſive os vitioſum, carioſum, vel ſeparatum ſubſit, quamdiu enim talis feſtuca, taléve vitium adeſt, ulcera vel omninò non, vel palliativè ſaltim & ad breve tempus coaleſcere queunt, nulla verò perfecta conſolidatio ſperanda eſt, donec vitioſum os ex toto exemtum, licet & minimum, fuerit; vel non ſatis mundatum fuerit, &, priusquam par erat, conſtrictum, ubi materia vitioſa intus relicta novum negotium facit, wird unterköthig; ſive labia ſe invicem non facilè contingant, unde inprimis vulnera rotunda tardiùs & difficiliùs claudi conſueverunt.

Notandum tamen, ſæpe in hoc morâ opus eſſe, & omninò, licet imperfectè quandoque conſolidationem talismodi fieri poſſe, donec natura ſibi ipſi tempore opportuno exitum paret, & oſſiculum ejiciat.

Hiſce igitur ablatis impedimentis hæc ipſa epulotica dicto modo comparata exactè faciunt officium, neque in his opus eſt, ut recenſioni diutiùs immoremur.

Obſervari tamen & id meretur, ſiccitatem illam epuloticorum moderandam eſſe ex ipſius partis affectæ naturâ, prout vel mollior, laxior, humidior, ſive ſiccior & excarnis magis fuerit. Sic in ulcuſculis tunicæ corneæ oculi ſæpiùs cum fructu adhibui pulverem alcooliſatum perlarum, item ſaccharum Canarienſe

Digitized by Google

inſufflatum, præter pingvedinem viperarum longè probatiſſimam. Sic in ulceribus & excoriatione labiorum ſpiritus ſalis levior applicatio citam affert opem.

A poſteriori verò iterum diſtinctio quædam notanda, alia enim cicatrix eſt *pulchra*, alia *deformis*. Hinc uti prior & minor expetitur, & deformitas omnis vitanda, non ſolum caro cuti æqualis priùs reddenda, aut ſaltim, ut parum excedat eandem, ſecus cava erit & deformis; ſed & lævigantia huic debentur, quæ duritiem nimiam corrigant, & factam emendent. Sic cicatricem turpiorem delere ſolent, quæ tùm *lævigant*, ut oleum vitell.ovor. & ſimilia, tùm *ſale nitroſo* aut *volatili* pollent, ac eandem quaſi *refricant*, ut aliâ facie ſpectanda exhibeatur, v.gr. anagallis. alſine, nitrum, ſinapi hoc fine commendantur.

Quod ad POROTICA ſeu CALLUM GENERANTIA attinet, dividuntur ea in *interna* & *externa*. *Illa* non differunt à travmaticis modò expoſitis, neque enim oſteocolla, laudatiſſimi ad hoc uſus, aliaque alio modo agunt, ac nuper dicto, abſorbendo, & ſangvinem pro conſolidatione aptiorem reddendo. *Externa* verò ejuſdem generis cum jam dictis epuloticis ſunt, quæ nempe adſtringunt, condenſant, incraſſant, & adeò alimentum oſſium ad callum ſeu glaream magis diſponunt, ut ex ſimplicibus ulmaria, ſymphytum, oſteocolla, &c. ex compoſitis emplaſtrum contra fracturas, &c.

Notum verò jam quoque eſt aliunde, oſſa non uniri, & perfectè ſibi invicem conjungi, niſi intermedio callo.

LIB. I. SECT. II. CAPUT XII.

De medicamentis ad ambuſta.

NOn minùs tandem in AMBUSTIS de modo agendi, materiâ ipſâ & applicandi modo ac uſu erimus ſoliciti.

INDICANS horum medicamentorum ſunt *ambuſtiones & combuſtiones partium*. Hæ verò ut varii generis ſunt, 1. ratione *materiæ*, v. gr. ex aquâ fervidâ, pulvere pyrio, oleo plumbo, aliisve ignitis. 2. ratione *graduum*, uti v gr *primus* eſt ſolus ardor, ſeu inflammatio: *ſecundus* ubi cum veſicis & puſtulis

ſtulis fit combuſtio: *tertius*, ubi vel cutis ipſa ſecedit, in humidis, vel corrugatur & nigricat: ut in aliis ignitis non humidis: *quartus* enim gradus eſt incurabilis, quo partis exterminium ipſum inductum eſt. Sic etiam variat curatio, & ſelectus horum medicamentorum omninò habendus eſt. Sic mitiora medicamenta conveniunt primo ambuſtionis gradui, ubi ſolùm inflammatio tollenda, & puſtularum generatio impedienda: ſecundo & tertio gradu partes magis demulcendæ, quod apud practicos latiùs videri poteſt.

In genere ergo medicamenta ad ambuſta duplicia ſunt: vel enim adhibentur *ad eliciendum empyrevma*, uti ſunt v. gr. *tenuium partium, calidaq;* ipſa, quæ quidem ſaltim in principio & primo ambuſtionis gradu locum obtinent, qualia ſunt allium, cepæ, & horum ſuccus, ſal, camphora, calx viva, myrrha, ℴℴ ceræ, &c. Sic mulier apud *Paræum l. 10. p. 244.* ſuaſit, ut primo apparatu cepæ crudę cum pauco ſale intritæ apponerenrur locis ex oleo combuſtis, unde mane altero puſtulæ nullæ adfuerunt, niſi in loco ſano.

Vel *ad mitigandum & demulcendum calorem* & ardorem, & conſequenter ſanandum partes exulceratas, eaque tum *aquoſa*, ut aqua omnium florum, roſarum, ſpermatis ranarum, phlegma vitrioli, alumen, atramentum, quæ quidem itidem primo ſaltim gradu adhibenda: tùm *mucilaginoſa*, albumen ovi, cataplaſma ex pomis dulcibus aſſatis & per ſetaceum trajectis, cortex medianus ſambuci, tiliæ, flos lactis, mucilago ſeminis pſyllii, cydoniorum. Sic & radix filicis apud *Sim. Paulli*, feces cereviſiæ, adeps porci bulliens guttatim ſuper lauri folia projectus & collectus, quod quaſi incantamenti inſtar curare ſcribitur, vel lardum eodem modo in glaciem ſtillatum, quod & in pernionibus convenit. Pertinet huc unguentum, ceu experimentum ſingulare, in omni aduſtione cum exulceratione à quâvis materiâ factâ, deſcriptum à *Dorncrellio diſpenſ. p. 105.*

Tùm *oleoſa*, & quidem temperatiora, acredinem ſecum non geſtantia, ut oleum lini it. nucum ovorum &c. *vid. Borellus l. 5o. c. 76.* balſamum ſulphuris externum Rulandi.

Digitized by Google

Tùm *abſorbentia* & *temperantia terrea*, ſaccharum Saturni, calx viva lota, vel ejusdem cremor.

Tùm *ex his mixta*, quæ omnium ſunt optima, ut albumen ovi cum ol. oliv. vel lini conquaſſatum & pennâ inunctum, quod pro experimento nobiliſſimo dilaudat *Agricola in chirurg. tract. 3. p. 342. Mynſichtus*, aliique: it. ungventum de litharg. ſeu ungventum nutrit. offic. quod omnium nobiliſſimum: emplaſtrum ex ſuccis herbarum, ſolani, tiliæ, ſambuci, hyoſcyami &c. empl. de ſperm. ran. camphoratum, diaſaturni Mynſ. de pingvedine cervi, &c. calx viva lota, cum oleo in ungventum redacta, ungvent. alb. coct. de cerusſâ, butyrum Saturni Fabri, &c.

Notandum verò, 1. *actu frigida eſſe cavenda*, ob contrarietatem, inde enim major ardor exoritur, fluxusque & dolor augetur. Hinc medicamenta contra ambuſta tepidè ſunt applicanda; hinc diſtingvendum eſt inter frigefacere & refrigerare, medicamenta ἐνεργητικῶς alterantia conveniunt, & poſſunt tepidè applicari.

2. *Ungventa pro ambuſtis adhibenda non debent eſſe dura*, ne dolorem majorem concilient.

3. *Interiùs etiam ardor reſtingvi unà poteſt*, uti ſpiritum ſalis ſummoperè in hunc finem commendat *Digby tract. de pulv. ſympath.* ceu egregium quaſi balſamum.

4. Sic &, licèt omnia ex æquo ambuſtis debeantur, *quandoque* tamen *pars ipſa reſpici debet*, v. gr. in combuſtionibus oculorum collyrio appropriato, ne viſus tollatur; articulorum, v. g. brachii; ne ad motum reddatur ineptum, &c.

LIBRI PRIMI

SECTIO TERTIA,

De

Medicamentis certæ parti appropriatis.

Caput Primum.

De medicamentis cephalicis.

Diſpe-

Digitized by Google

DIſpeximus jam alibi litem illam, *an dentur alterantia ſpecifica?* quæ hîc non latiùs repetemus. Nobis jam ſufficit, Cephalica & hinc recenſenda alia alterantia particularia nomen ſortita eſſe à partibus affectis, etſi enim, ut loquitur *Pernumia l.5. de curat. arte cap. 68. p. 327.* aliis quoque proſint; uni tamen magis, quàm alteri conducere dicuntur, & reverà conducunt, unde & *Hippocrates l. de arte*, morborum, ait, omnium unus & idem modus; locus verò ipſe eorum differentiam facit Neque obſtat, omnes æquè partes nutriri & vegetari uno eodemque ſangvine, nam non æqualis omnium recipiendi modus eſt, unde v. gr. cephalica ſunt, juxta quosdam, quæ medicamenti vim ad caput ſecum trahunt, ſive potiùs rectiùs, quæ caput reſpiciunt, ejusque calorem nativum roborant.

Unde notandum: 1. ſæpe promiſcuè nominantur alterantia & confortantia; licèt illa magis temperiem, hæc actionem & ἐνέργειαν viſceris reſpiciant, aliàs *τονικά*. 2. inprimis nomen hoc competit calidis, minùs frigidis, hæc enim, ſcilicet alterantia frigida pleraque, non omnia, magis ſunt communia.

Indicant ergo cephalica medicamenta primariò *temperies alterata*; ſecundariò verò etiam *conformatio*, ut in hydrocephalo, apoplexiâ, paralyſi, &c. & ipſa etiam *ſoluta unitas*, nam & in his temperiem vitiari certum eſt, unde ἀλλοίωσις hæc paullò latiùs ſumitur.

Cùm verò non ſufficiat credere, cephalica, aliàve ſimilia medicamenta eſſe, quæ occultâ proprietate cerebrum reſpiciunt, ſeu ex proprietate ſimilitudinis cum calore nativo cerebri conveniant, paullò altiùs eorum Agendi vis erit repetenda.

Præmiſsâ itaque 1. diſtinctione generali, quæ in aliis omnibus valet, alia cephalica eſſe *volatilia*, alia *fixa*, alia *media* & ex hiſce mixta, 2 regulâ itidem univerſali methodicâ, contraria contrariis curari: Item 3. alterantia ſpecifica propriè & primario intelligenda eſſe de internis & aſſumendis; reſtrictè verò etiam de externis, ut in vulneribus v.gr videre eſt; Jam quæ experientiâ teſte in affectibus capitis his vel illis faciunt officium, videbimus.

Cephali-

Cephalica itaque, ut inquiramus hæc penitiùs, vel reſpiciunt 1. *membranas ac nervos* eorumque irritationem, tenſionem, (quod de membranis maximè valet,) ac vellicationem, quæ conveniunt in doloribus capitis, epilepſiâ, pavoribus, & motibus convulſivis, ſive ſint *diſcutientia*, ſive balſamicâ ſulphureâ vi *demulcentia*, uti ſunt *paregorica*, chamędrys, chamæpitys, verbena, pulegium, betonica, fl. anthos, ſpicæ, tiliæ, lil. convall. caſtorium, & exinde parata, ſuccinum, &c. Sive *invertentia, & acrimoniam abſorbentia*, ut præ omnibus cinnabarina: unde patet, quomodo hæc ipſa & in epilepſiâ, & doloribus capitis, quin & articulorum, pleuriticis, adeoque omnibus totius corporis conveniant. Pertinent huc ipſa etiam opiata correctiora.

Vel 2. reſpiciunt *humores*, in primis lympham ſeu ſerum, unaque ſpiritus & vapores, ſeu halitus tenues, & quidem, ſi *excedant* illi quantitate, *evacuantia* & *divertentia*, ſulphure volatili oleoſo pollentia, quæ proſunt in catarrhis & repletione, vertigine, incubo, epilepſiâ ipſâ quâdam, memoriæ debilitate, &c. ut pæonia, ſerpillum, majorana &c. Si *deficiat*, *reſtaurantia, humectantia* & *diluentia*, uti interiùs aquoſa, liquida, potiones, decocta, largior potus, quæ neceſſaria ſunt in maniâ, melancholiâ, vigiliis nimiis: ſi *acres*, *tenues*, ſalſi humores, *figentia* & *temperantia*.

Vel 3. *ſpiritus*, qui *deficientes reſtaurantia balſamica volatilia, oleoſa* poſtulant, in ſpecie ambram, aquas apoplecticas, virtutum, balſamum vitæ, &c. olea deſtill. cinnam. &c. quæ proſunt ad præſervationem apoplexiæ, memoriam roborant, paralyticis conveniunt, melancholicos vigorant, catalepticos reſtituunt, &c.

Enormes verò *& excedentes*, æſtuantesque & efferatos temperant *humectantia* & *ſerum reſtituentia*, rarefactionem inhibentia *acida*, evaporationem promoventia *nitroſa*, ligantia *opiata*, ceu in furore, phrenitide, maniacis id ex uſu eſt, unde & in vigiliis nimiis conveniunt.

Vel 4. *vapores* ſeu *halitus*, quos *exceſſivos*, *peregrinos* & *extraneos*, quatenus halituoſior ſanguis ſeu ſulphure peregrino infectus, non aliter, ac videmus in ebriis, turbulentos reddit ſpiritus, corri-

corrigunt tùm blanda aromatica & roborantia, qualia vulgò appellantur evaporationes ad caput elevandas prohibentia & diſcutientia, coriandrum, pulveres peptici, quæ εὐχύλωσιν præſtant, & ventriculum roborant: tùm acida, quæ humores ſulphureos bilioſos obtundunt, ut in ebrietate.

Deficientes verò eosdem ſeu ἀναθυμιάσεις, vapores roſcidos, (quod omne tamen ſero qualitatibus hiſce imbuto rectiùs tribuitur,) reſtituunt tùm *humectantia*, unde in febribus ardentibus conſultum eſt, epithemata vel ex ſolâ aquâ roſarum, item emulſiones, egregiè humectantes & refrigerantes, præſcribere: tùm *halituoſum ſanguinem generantia*, blanda aromatica, hinc & *Sennertus* & *Simon Paulli* conſulunt, & ipſa experientia inprimis teſtatur, vigiliis ſenum non tàm ſola opiata, non refrigerantia; ſed ſvavia evaporantia, ſulphure oleoſo pollentia, convenire, uti ſunt ſpecies diambræ, diamoſchi, vinum ipſum, quo novimus quosdam feliciter uſos, ut nempe & ſerum ſibi conſtet, & ſulphure reſolubili polleat, quod ex ſequentibus magis fiet manifeſtum.

Vel enim 5. reſpiciunt cephalica *cerebri ipſius poros*, & eos quidem vel *aperiendo nimis occluſos & obſtructos*, vel *claudendo nimis biantes & dilatatos*.

Aperiunt poros cerebri medicamenta *volatilia*, inprimis *urinoſa*, ſicubi ob humorum copiam, vel ſubſidentiam, vel compreſſionem, aliasque cauſas depreſſi & occluſi hæreant, nec liberum ſpiritibus commeatũ concedant ampliùs, ut præcipuè in paralyſi, apoplexiâ, aphoniâ, catarrhis craſſis, ubi poros nervorum aperientia unicè proſunt, item ſomno immodico, & affectibus ſimilibus, lethargo, comate ſomnolento, aliisque, v. gr. ſpiritus ſalis ammoniaci, quo cum ſpiritu lil. convallium mixto aliquot curavimus paralyticos. Addenda etiam quandoque ſimul diſcutientia.

Claudunt verò poros nimis diductos, *tùm* ſerum in ſubſtantiâ augentia, *tùm* blandum ſulphur reſolubile ſanguini fœnerantia, unde proſunt & indicantur in vigiliis nimiis, ferociâ, deliriis, phrenitide, aliisque intemperatoris.

Quoad Materiam horum ipſam, hiſce applicandam regulis,

Digitized by Google

regulis, cùm in genere vel ad inſtaurandum calidum innatum cerebri, vel temperandum faciant, ediſſeremus eandem ſub volatilium, fixorum & mediorum titulo.

Volatilia cephalica ſunt 1. *ſulphure oleoſo, aromatico, ſuavi pollentia*, ſeu uno verbo *balſamica*, herbæ & radices, angelicæ, caryophyllatæ, folia rorismarini, major. ſalv. rutæ, lignum ſaſſafras, &c. & horum ſpiritus, olea, ſalia volatilia oleoſa. Suntq; hæc ſimul paregorica, & membranas irritatas demulcent, & ſpiritus deficientes reſtituunt, halitus verò corrigunt, poros dilatant. 2. *urinoſa volatilia, ſpiritus ſalis ammoniaci* laudatiſſimus, *ſpir. urinæ*, unde tinctura ſolis & lunæ ferè ſolum mutuantur vulgò virtutē. 3. *acida volatilia*, ſpir. vitrioli cephalicus ſtriatus, aqua apopl. mulierum, &c. licet hæc magis quaſi fixa ſint.

Annotavit ferè primus *Helmontius*, cephalica ſe ſale volatili commendare. Sic & ex vegetabilibus conſervæ, condita, & alia huc pertinent.

Fixa ſunt vel *terrea*, perlæ, coralia, cinnabaris, ex compoſitis pulvis epilept. Marchionis ſpecificum cephalicū Michaelis, vel *acida*, vel *nitroſa*, vel *aqueadiluentia*; & hæc uſum habent ad abſorbendos & diluendos humores acres, irritantes membranas, ſpiritus efferatos ligandos, ſopiendos, & demulcendos, poriſque, quatenùs acorem abſorbent, libertatem conciliandum.

Media ex his mixta ſunt varia.

Externa ſunt vel *humectantia*, & ſerum reſtituentia, ut in melancholiâ, ubi v. g. decoctum fol. lactucæ in uſu nobis eſt, vel *partium tenuium* penetrantia, vel *refrigerantia* & repellentia, ut in hæmorrhagiis, deliriis, ubi & acida proſunt, &c. vel *diſcutientia* & evacuantia, ut ſternutatoria, apophlegmatiſmi, vel *anodyna*, ut ungventum alabaſtrinum, populneum; vel *roborantia*, ut lixivium ſapientiæ, &c. oleum perſic. vid. *B. Rolf. O. & M. comment.*

Caput igitur cùm ſanctius regimen ſecum foveat, & comprehendat, de ſalute ejus utique vigilandum eſt, unde in horum applicandi legitimo uſu non minimum ſitum eſt.

Notandum ſcilicet in horum Applicandi Modo,

1. *Violenter alterantia, & poſt ſe noxam relinquentia, vel omittenda, vel parciùs ſumenda.* Sic

I Nimis

Digitized by Google

Nimis odorata caput gravant, præcipuè ubi à vaporibus caput affectum dolet: unde ſtyrax, crocus, myrrha etiam ipſa & coriandrum non præparatum, cerebrum feriunt, & conſequenter omnia nimis vaporoſa, & ſulphure peregrino pollentia, ſpiritus facilè turbant, & poros quidem claudunt, attamen cautè adhibenda: unde & opiata huc pertinent, quæ incautiùs & frequentiùs data, præcipuè in infantibus caput debilitant & turbidum reddunt: quò & ſpectat umbra nucis juglandis, taxi, quercus, &c.

Sic *valdè frigida cavenda:* utut enim repellentia frontalia & epithemata commodè ferat cerebrum; videndum tamen in omnibus eſt, ne tonus ejus labefactetur, cùm frigida omnia nervis ſint inimica.

Sic *nimis calefacere* & *ſiccare nunquam tutum* eſt, inde enim ſpiritus efferantur, pori nimis dilatantur, quod iis maximè obſervandum eſt, qui *confectione anacardinâ* & aliis calidioribus continuò uſurpatis memoriam ſibi parare allaborant, uti *Hofmannus* refert, quosdam hoc pacto maniacos redditos. Valet enim in exceſſu hoc inprimis *Horatianum* illud:

Stulti, dum vitant vitia, in contraria currunt.

Reſpective tamen minùs peccari ſolet calefacientibus, quàm refrigerantibus.

Sic, quæ regula eſt & cautio *Heurnii meth. ad praxin lib. 2. p. 118.* parce utendum in capite, (ſcilicet in topicis præſertim,) *quæ maniſ ſtè adſtringunt*, unde ſæpe calida adduntur, ut reliqua magis penetrent.

Non alterandum ergò ultra mediocritatem; ſed ſemper cerebri temperies conſervanda, quod & ex ſequentibus magis patet.

2. *Nec humectantia, nec liquantia, & calida nimis in catarrhis, &, ubi cerebrum humore repletum eſt, locum habent.* Hinc in catarrhis lotiones capitis, imò & balnea locum planè non habent, & viſi ſunt, qui inde odoratum penitùs amiſerunt. Sic qui calidis, v. gr. oleo *ſuccini*, tùm internè, tùm externè bregmati inungendo in catarrhis utuntur, materiam liquando & in vaſa præcipitando ſæpe febrim excitant, & alia mala graviora.

Digitized by Google

3. *Salia item, tùm alcalia, tùm nitroſa, tùm acida, minùs conveniunt in catarrhalibus affectibus*, magis enim fluxile reddunt ſerum, unde facilè in loca nobiliora viam affectat, quod in genere etiam de aliis partibus valet.

4. *Quæ nervis debentur topica, ſpinali medullæ applicanda*, ibi enim exorti pro toto corpore vigorando novis radicibus erumpunt. Valet id maximè in paralyſi, epilepſiâ &c. Hinc peccatur ſæpe à medicis, qui topica ipſi parti affectæ applicant, cùm nervorum origini debeantur: quale elegans exemplum refert alicubi *Galenus*.

5. *Acida, ubi pori repleti nimis ſunt, vel humores & ſpiritus nimis efferati & effrenes*, ut in affectibus ſoporoſis, maniâ, &c. *conveniunt: minùs, ubi nervi & membranæ debiles*, ut in paralyſi: minùs etiam in vigiliis, ubi vitanda.

6. *Conveniunt omnia hæc magis*, (quod & de reliquis ſpecificis valet,) *& principaliter, capite eſſentialiter & per ſe affecto; minùs, & non, niſi reſtrictè & ſecundariò, ubi per conſenſum.* Non enim valet abſolutè regula: caput eſt affectum, ergo cephalica ſunt adhibenda: ſtomachus eſt affectus, ergo ſtomachica.

7. *Vegetabilia magis ſpecificorum titulum, & quidem calida præcipuè, mineralia & metallica univerſalium magis obtinent.*

8. *Ut maximus eſt conſenſus capitis, ventriculi, & uteri, ita etiam in ejuſdem affectibus ad illa ſimul ſemper reſpiciendum:* hinc etiam ob ſymboliſationem hanc, quæ cephalica ſunt, ſunt etiam uterina, &, quæ ſtomachica calida, pleraque etiam cephalica.

LIB. I. SECT. III. CAPUT II.
De Ophthalmicis.

OPhthalmica quoad MODUM AGENDI, reſpiciunt vel *oculum ipſum* læſum, ſive quoad *tunicam adnatam* inflammatam, ut in ophthalmiâ, ſive quoad *corneam*, ſpecies viſibiles non intromittentem, obfuſcatam, ulceratam, vulneratam: qualia ſunt tùm *repellentia*, communia cum reliquis ſuperius expoſitis, tùm *abſtergentia*, ſive *acriuſcula*, ut pingvia, quorum inſtar omnium eſt pingvedo vipera-

viperarum, ruta, ⊖lum album, &c. ſive *aquea*, ut ∇æ deſtillatæ, ſeu terrea, ut perlæ præparatæ, lapis ſciſſilis præparatus, magiſterium ſacchari Saturni, &c. quæ præter ophthalmiam, ut aquæ, in puſtulis, excreſcentiis, & adnatis tunicæ corneæ, unguiculis, ulceribusque, proſunt. Plurima ſanè ſunt hæc, & frequenter in praxi occurrentia vitia, nempe machinæ ipſius oculi, quæ pleraque in ſenſus incurrunt.

Vel reſpiciunt *humores* & *vapores impuros*, & *halitus*, tùm internè, tum externè, qualia ſunt *diſcutientia*, tùm *interna*, quæ cum jam dicendis ferè coincidunt, & pleraque cephalica huc pertinent, tùm *externa*, ſive à cauſâ internâ præcipuè malum ortum fuerit, qualia conveniunt in ſuffuſione, viſûs imbecillitate, & conſiſtentiam humoribus debitam conciliant; ſive ab externâ, ut in vexatis ſeu ſuggillatione, de quâ valet inprimis vulgatum illud κατὰ τὸ ῥητόν· *Vexatio dat intellectum.*

Vel eosdem *deficientes* reſtituunt. Sic Burrhus magnâ cum pompâ aquam chelidonii majoris hunc in finem extulit; cumprimis verò *Kerkringius in comment. in currum triumph.* ♁ii, & *ſpicileg. anatom.* arcanum ſe in hoc poſſidere, quod non nominat, extollit, idque ſe ſæpiùs præſtitiſſe ait. Exſtat hanc in rem experimentum apud *Heerium in obſervat.* nempe *ſuccus veſicularum ulmi,* ſtatim oculo vulnerato inſtillatus. Conducunt præterea hoc caſu in cicatricibus, unguiculis, ulceribus, pupillæ anguſtiâ, nyctalopiâ, myopiâ, viſus depravatione.

Vel denique *ſpiritus* & *nervos*, atque tùm hos aperientia & reſerantia, tùm illos confortantia & reſtituentia, ὀξυδερκικὰ, interna & externa, quæ in guttâ ſerenâ, viſûs imbecillitate à contuſionibus, percuſſione, & vitio intrinſeco, motu etiam oculi læſo, ſive paralyſi, &c. ex uſu ſunt. Et hæc vix differunt à cephalicis; ſed hæc ipſa ſunt, & inprimis tenuium partium, ipſaque volatilia, ſicuti ſal volat. viperarum eo uſu externè commendat *Severinus*. Reliqua, ut *adſtringentia, travmatica*, &c. ſunt communia, ex aliis fontibus huc referenda. Communia etiam revulſoria ſunt *veſicatoria*, quæ in affectibus oculorum efficaciſſimo ſolent eſſe adjumento, nuchæ appoſita.

Quoad Utendi Modum & cautelas

1. illud *Platonis in Charmide* notandum: *Oculos ſine capite curare non decet, neque ſine reliquo corpore caput.* Impoſſibile enim eſt, toto malè affecto, partem aliquam benè habere. Hinc in affectibus oculorum apprimè inter alia proſunt purgantia, præcipuè, ubi humores peccant, & ad oculos impuri ruunt.

2. *Repellentia magis evacuato capite locum habent*, in ophthalmiis præſertim gravioribus.

3. *Cavenda in affectibus oculorum ſuppurantia*, quovis modo, unde & emollientia oculis non promiſcuè conveniunt, præſertim in ophthalmiâ, quam graviorem vidi etiam per ſe in piſtore in ſuppurationem abiiſſe.

4 *Opiata cautè adhibenda*, non illâ quidem veterum ſuperſtitione, quaſi ab his ſenſus tollatur partis; ſed quia ob acrimoniam nocent, nec dolores juvant, ſpiritusque fugant.

5. *Oculi paullò acriora ferunt.* Sic obſervavit *Platerus*, cuidam ☿tum loco ſacchari Canarienſis inſperſum citra noxam. Ipſe etiam novi, ~tum ⊕li incautè & per errorem inſtillatum, citra ullam noxam, præter momentaneum ſeu tranſitorium dolorem.

6. *Mucilaginoſis delectantur oculi, tenacibus verò non item*, hæc quippe dolorem cient, illa conformia temperamento demulcent, defendunt, alterant.

7. *Ptarmica in affectibus oculorum cavenda*, ne affluxus cieatur major.

LIB. I. SECT. III. CAPUT III.

De Oticis.

Dicuntur aliàs *ἀκουστικά*, ſive *auditum roborantia*, & reſpiciunt

Vel *vias* & *meatum ipſum*, ut & cavitates ordinarias obſtructas, unde ſonus admitti nequit, quæ vitia ſunt conformationis; qualia ſunt, præter adminicula à chirurgiâ, ſive manuali operatione præſtanda, inſtrumentis & auriſcalpiis, *extergentia* & *lenientia*, ac *aperientia*, ut ex ①, fellibus animalium, ol. amygd. amar. ſucco ceparum, &c. parata, ut & *ſuffitus* & alia tenuium partium; quod & in aliis dicendis caſibus ſemper eſt obſervandum, ut nempe viæ ſint liberæ, & reciprocari poſſit aeris externi illapſus.

Vel

Vel *ſenſationem ipſam*, quam præbent tum *nervus* quintæ conjugationis huc implantatus, tùm *tympanum*, ubi aer immiſſus repercutitur, ſonum edit, & beneficio nervorum percipitur, qualia ſunt *roborantia* cephalica, ſpiritus augentia & vigorantia, poros aperientia, tùm *interna*, tùm *externa*, quæ quidem huc repetere ex jam dictis non opus eſt, ut ex *roremar. lauru*, &c. quæ proſunt in βαρυκοΐαι δυσηκοΐα, ſive auditûs difficultatibus, & ſurditatis initiis.

Vel *humores* affluentes, ſive *acrimoniâ* ſuâ membranoſum genus vellicent, & dolores immanes producant, quæ ſunt *paregorica* blanda ex jam dictis cephalicis, item flor. chamæmeli, flor. perſic. fotus lactis &c. ſive *corrupti* in pus & fœdam ſaniem ichoremve, continuò vel per vices emanantem, degenerent, uti ſunt leniter *exſiccantia*; uti enim humidiora exemplo inſtrumenti muſici, minùs ſonant: & ab abundantiâ humorum tympanum laxatur, ita tono huic partis tàm delicatæ ſervando maximè ſtudendum; & *detergentia*, quò pertinent quoque *anthelmintbica*, ſive vermes, ſiqui adſunt, necantia, amara præcipuè, & conveniunt in otalgiâ, pure, vermibusque aurium, ſuſurris item & tonitrubus earundem.

Sive *ad aures* κριτικῶς *quaſi protruſi* fuerint humores, ibidemque reſtagnent, & auditum lædant, quod tùm aliàs, tùm in declinatione febrium malignarum frequenter accidere ſolet, & optimum ſemper præbet ſignum, qualia ſunt præcipitantia, inprimis cinnabarina, quibus ſolis ejusmodi δυσηκοΐας feliciſſimè abegi: licet utplurimùm per ſe quoque tandem deſinant.

Vel *halitus extraneos*, aerem innatum inquinantes, & peregrino motu tympanum infeſtantes, qualia ſunt *diſcutientia*, intemperiem *alterantia*, & *halitus abſumentia*, ex carminativis & cephalicis balſamicis concinnata; & proſunt in tinnitu, ſonitu, & ſibilis aurium.

MATERIA ipſa, ſelecta quidem illa, à Bb. *Mœbio*, & *Rolfincio ord. & meth. comm.* proponitur, tùm eorum, quæ interiùs, tùm, quæ exteriùs uſitatiora ſunt.

Quod ad MODUM APPLICANDI hæcce legitimè, ſpectat,

1. Hoc

Digitized by Google

1. Hoc loco valet, quod jam de ophthalmicis diximus, in genere, *in omni auditûs ſymptomate*, præcipuè tinnitu & δυσηκοΐᾳ, *caput eſt roborandum:* eſt enim & hîc emunctorium ejusdem, quò natura ſæpe, licet vitioſè, adſueſcit vitioſam colluviem ablegare.

2. *Sternutatoria non temerè ſunt adhibenda, præſertim fortiora:* lenia enim movent, non promovent; fortiora manifeſtè aures lædunt, unde poſt ſternutatoria etiam ſæpe ſentimus triſtem his locis ſenſationem, & ipſa impediunt oticorum hoc modo vim.

3. *Omnia topica*, ſive auribus immittenda, *indenda ſunt tepida.* Intenſè enim calida & intenſè frigida parti huic excarni teneræ & membranoſæ ſummè ſunt noxia & adverſa.

4. *Prius, quam topica applicentur, ſordes aurium probè ſunt removendæ*, ut ſcilicet aditus pateat, nec viſcedine illâ ſordidâ virtus obtundatur.

5. *Tres vel quatuor guttæ de liquidis pro unâ doſi ſufficiant de externis.* Obruere enim hunc angiportum non eſt conſultum, quin nec *aquea* ipſa adeò conveniunt; ſed conſultiùs *mediatè* applicantur in fotu; *olea* verò & *ſpirituoſa* magis *immediatè*, *balſamica medio modo* & induntur, ut moſchus, & in ſuffitu conveniunt.

6. *Poſt adhibita externa cubet æger in aurem oppoſitam*, ut ſcilicet eò meliùs penetret, & profundiùs illabatur medicamentum.

7. *Valdè unctuoſa & viſcida non temerè auribus ſunt indenda*, unde nec olea rancida, & craſſa, non æterea, nec pingvedines, nec balſama, nec linimenta hîc, multò minùs emplaſtra locum habent, obturant enim hæc meatum, & ſoni admiſſionem remorantur: unde & fella in eſſentiâ potiùs, quàm ſubſtantiâ, immittuntur. Sic & balſamum de Peru, Zibethum, omittenda.

8. *Acriora auribus nunquam ſunt inſtillanda*, læditur quippe iisdem tenuis cuticula, & eroditur, unde dolor, inflammatio, & plura alia mala. Valet id inprimis in oleis 🜂tis, quorum hæc eſt hoc loco differentia: 1. *quædam poſſunt ad paucas guttas immitti*, ut leniora, ſi præſertim refracta diſpergantur, unde commodiſſimè poſſunt olea carminativa cum oleo amygdalorum amar.

permi-

Digitized by Google

permiſceri: 2. *quadam verò horum bombace excepta ſaltim induntur*, ut oleum aniſi, &c. 3. *quadam planè vitanda ſunt, vel non niſi parcè aliis remiſcenda*, ut oleum ſuccini, juniperi, & calidiora alia. Novimus ab utroque hoc applicato graviſſimos dolores ortos.

9. *Maſticatoria in applicatione oticorum non ſunt negligenda*, ſic enim auditorius meatus, ab aure qui tendit in os, magis aperitur, unde jubemus ſimul maſticare vel maſtichen, vel cubebas, quæ & ipſa λεπτομερείᾳ ſuâ cerebri poros aperiunt.

Uſitatiora, uti diximus, ſunt inter topica, 1. *olea remixta*, ubi baſeos inſtar eſt *oleum amygd. amar.* 2. *fomenta*, tùm *ſicca* è ſacculis calidis, ſuffimentis, &c. cum tubulo ad aurem derivandis; tùm *humida*, è pane calido cum ſem. carminat. &c. coctо & diſciſſo: vel decoctis ex cephalicis, quibus non incommodè ſolent addi etiam *purgantia* ex aſaro, helleboro, colocynthide, &c. quæ reliquorum vim & ἐνέργειαν augent.

LIB. I. SECT. III. CAPUT IV.

De thoracicis.

Hæc præ reliquis plura ſortita ſunt nomina, audiũt enim *bechica*, quòd tuſſi medeãtur, *pneumonica*, quod pulmoni, *expectorantia, arteriaca, anocathartica*, & quæ alia ſuntnomina.

Reſpiciunt verò vel *vias*, aeri immittendo & emittendo neceſſarias, quas expediunt, & bronchia pulmonum abinfarctu liberant, uti ſunt tùm *incidentia & attenuantia*, ſale volatili ſimplici, ut *arum, ſir. de eryſ. Lobelii*; vel oleoſo balſamico pollentia, ut *mel*, quæ conveniunt in humoribus craſſis, viſcidis, lentis, pituitoſis, aſthmate, tuſſi creperâ, tùm lenientia & lævigantia, eclegmata, ſirupi pectorales, &c. quæ in raucedine inprimis ex uſu ſunt, & tuſſi quoque in genere.

Vel *humores*, ſive *craſſos*, qualia ſunt jam dicta, incidentia & detergentia, ſive *tenues, acres, ſalſos deſtillantes*, uti ſunt terrea, mucilaginoſa, opiata, bolus Armena, maſtiche, thus, theriaca, quæ in catarrhis ſalſis, tenuibus, hæmoptyſi &c. conveniunt: ſeu *ad putrilaginem & ulcus declinantes*, uti ſunt putredini reſiſtentia. balſamica, terrea, præcipitantia, nunquam omiſſis lævigantibus jam recenſitis, & pro re natâ traumaticis, conſolidantibus, quorum in phthiſi uſus eſt.

Digitized by Google

Vel *expanſionem præpeditam*, idque tum aliis caſibus, tum inprimis, ubi affluxus irruptioque humorum inflammationem & abſceſſum intentat, quo caſu præter univerſalia, *diaphoretica*, in ordinem ſanguinem redigentia, conveniunt *reſolventia*, & *coagulationem disjicientia*, uti ſunt antipleuritica pleraque, præcipuè ♁iata, item in caſu ab alto proficua. Hæc ipſa ſæpe naturæ aliam monſtrant viam, ut, quod ordinariè per tuſſim expectoratur, per alvum ſoleat deponi.

In ſingulis verò his expectoratio nunquam negligenda, ſed in omnibus etiam ſua laus hanc promoventibus manet.

MATERIAM conſtituunt, ut diximus, 1. *volatilia acria*, ſale vol. pollentia, ut radix ari, ſcylla marina, ſinapi, eryſimum, item *amara*, ſcordium. 2. *Sulphure blando volatili vel oleoſo conſiſtentia*, ut radix irid. fœnic. helen. ros ſolis, ſem. aniſi, ſaſſafras, ſuccinum, benzoe, olea deſtillata. 3. *dulcia & roſcida mucilaginoſa*, ſaccharum cantum, ſirupi, looh omnis generis, mel, glycyrrh. quæ duæ claſſes bechica maximè abſolvunt, non omiſſis reſolventibus quandoque. 4. *reſolventia*, & partim leniter exſiccantia partim expectorationem promoventia, ut lapides ♋, ſperma ceti, dens apri, ♁ diaph. gummi ammon. ſuccinum, ▽æ aſthmaticæ, chærefolium. 5. *terrea* præcipitantia, abſorbentia, conſolidantia, ut tuſſilago, ſcabioſa, veronica, ♁ diaphor. antihect. Poterii. Pertinent huc & 6. *mucilaginoſa temperatiora*, althæa, coſta. jujubæ, ſebeſten, gummi Arab. tragac. bol. Armena. Reliqua ut 7. *aquea diluentia*, & 8. *adſtringentia* ex dictis patent, & quædam eorum communia ſunt, &c. item 9. *opiata*, diacod. &c.

Priora incidentium, poſteriora incraſſantium generali titulo gaudere queunt; media quaſi ſunt aquea.

APPLICANDI verò MODUS legitimus probè eſt obſervandus, tùm intrinſecorum, tùm topicorum.

1. *In affectibus pulmonum ordo thoracicorum* incraſſantium & incidentium *non eſt confundendus, nec invertendus*, i.e. non danda ſunt incraſſantia, ubi viſcoſi, tenaces, pituitoſi peccant humores; nec incidentia & attenuantia, ſicubi tenues, ſalſi & acres deſtillant. Sic etiam

2. *Non confundenda ſunt bechica cum reſolventibus, miſceri tamen pro re natâ commodè queunt*, e. gr. in pleuritide & aſthmate magis

reſol-

Digitized by Google

reſolventia,in tuſſi, phthiſi magis bechica conveniunt. Qui verò pleuriticos ſolis bechicis, inprimis linctibus, curare præſumit, ægrum interimet: qui aſthmaticum, periculo magno non minùs exponet.

3. *In affectibus pectoris non adſtringendum ſine reſolventibus*, ut nempe 1. ſanguini grumato ſimul proſpiciatur, ut in hæmoptyſi id præſtant *lapides* ♋; licèt ſecundarià ſolùm doſi receptis; idem utrumque expediunt *corallia, bolus Armena, terra ſigill.* &c. 2. ut tonus pulmonum, qui laxior naturaliter eſſe debet, h. m. attendatur, neque expanſio impediatur.

4. *Nimis quoque exſiccantia in thoracicis vel vitanda, vel cum humectantibus miſcenda*, v. gr. ♁ diaphoreticum, antihecticum Poterii, magis exſiccant, ut & 🜍ra ipſa, commune, flores 🜍ris, 🜍 ♁ii purum, &c. Hinc etiam plantæ pectorales recentes, quando magis humectandum & abſtergendum eſt, v. gr. in phthiſi & aliàs, magis proſunt, ubi verò conſolidandum, ut in hæmoptyſi, magis ſiccæ.

5. *Vitanda ſunt item nimis laxantia, tùm internè, tùm externè.* Illa enim & tonum debilitant, & ventriculum dejiciunt, ac inappetentiam ipſi conciliant, unde bechicis linctibus in magnâ copiâ & continuò uti non eſt conſultum: hæc verò poros ampliando magis & dilatando ad affluxum recipiendum magis diſponunt, unde in unguentis etiam pectoralibus cautio eſſe debet.

6. *Bechica ſenſim magis ac pedetentim, quàm unâ vice, deglutienda, pitiſſando, ſorbendo*, ut ſcilicet pars ad aſperam arteriam feratur, & derivetur magis, cujus aſperitatem & inæqualitatem corrigere ſuſtinemus. Neque enim in ventriculo hæret malum, ſed ipſe, ut modò diximus, exinde, ſi excedatur, noxam ſentit. Valet id in pulverib⁹ cum ſaccharo canto edulcatis, looh item & electuariis

7. *Frigida pectori inimica*, unde decocta & infuſa magis calidè interiùs proſunt; externè verò licet adſtringendi intentio adſit, tamen non conveniunt, quià deſtruunt tonum partis, quæ calido gaudet, & tuſſim, quæ vel à ſolâ frigiditate ſæpe fieri obſervatur, excitant.

Lib I. Sect. III. Caput V.

De cardiacis.

Specio-

SPecioſum nomen eſt Cor Confortantium, quæ *cordialia, cardiaca*, &, juxta *Williſium*, *vitalia* propriè dicuntur, unde & κατ' ἐξοχὴν *confortantia* audiunt, quaſi inter hæc præcipua & principalia.

Cùm itaque cordialia ſint, quæ cordi laboranti opitulantur, notabimus in anteceſſum, 1. quòd *cor & ſanguis ſint cauſa ſocia*, neque ergo ſejungendæ; uti faciunt quidam, unde & *Williſius in pharmaceut. rat. ſ. 6. cap. 1. p. 238.* cenſuram meretur, qui ſcribit, cor non viſcus nobile & princeps eſſe usque adeo, uti perhibetur; ſed merum muſculum, carne tantùm, & tendinibus more cęterorum conſtantem, ſanguini circumpellendo inſervientem.

Hi ſanè à corde mortuo ad vivum videntur concludere; cùm tamen à morte ſpeculari ſaltim liceat, quo in hoſpitio anima commorata fuerit, non item principium vitale, primum mobile; ſufficit ſcilicet, cor eſſe radicalem animæ ſedem, & in concreto tùm aliàs, tùm h. l. eſſe conſiderandum, unde cadunt reliqua à *Williſio* dicta, cordialia nempe cor non afficere, atque haud magis ad cor ipſum quàm ad manus aut pedes aut ad muſculum quemvis alium pertingere. Aliàs ſatis eleganter de modo agendi cardiacorum diſſeruit *idem l. c.* & leg: meretur.

2. *Sanguinem conſtare duabus partibus, calido*, ſeu ſanguine κατ' ἐξοχὴν, *& humido*, ſeu ſero, in quibus duobus humoribus alimentoribus vita noſtra & ſalus conſiſtit, neque aliud calidum innatum, neque humidum radicale datur, quàm hæc vigore ſuo & fermento vitali inſtructa.

Nos 3. dicemus *cordialia, quæ ſanguinem & calorem*, (quorum cor fons eſt,) *diſpenſant, conſiſtentiamque ſeri & motum ac vigorem utriusque diſponunt.*

Sunt itaque I. vel *rarefacientia ſanguinem*, quando in ἐκλάμψει ſuâ deficere videtur, & debilis eſt, particulæ ſulphureæ & volatiles mercuriales & ſpirituoſæ vel obtuſæ, vel non ſufficienti quantitate vigoratæ; qualia conveniunt in languoribus cordis, laſſitudine cum malignitate, ſenio, pallore, frigore, cachexiâ, paroxysmis febrium intermittentium, virium debilitate, anxietatibus quando cordis motus quaſi fatiſcit, ut in febribus malignis ſæpe, recurſu malignitatis ad cor, expulſione variolarum & morbillorum, &c. qualia ſunt volatilia

1. Sal-

1. *Sulphurea*, & quidem vel *ſpirituoſa*, ut ▽ roſar. ⁓ roſar. ▽ apopl. carfunc aurea. virtut. Q. E. Matthioli. ▽ Anhalt. vinum, 🜅 &c.

Vel *oleoſa*, ſulphure volatili oleoſo roſcido pollentia, quæ uno verbo dici conſueverunt *balſamica*, ut lignum aloes, camphora myrrha, odorata omnia, quæ immediatum cum ſpiritibus habere commercium. *Helmontiana* eſt aſſertio, *aromata*, cinnamomum, cardamomum, oleum cinnamomi, moſchus, ambra, horum eſſentiæ, Ræ &c. item theriaca. mithridatium &c.

2. *Salina lixiva*, ut ⊖ abſinth ſcord. card. bened & ſimilia; quæ ſimul præcipitandi, & inſigni certè vi pollent ſanguinem rarefaciendi & in ordinem redigendi, unde egregia ſunt febrifuga & ſudorifera.

Vel *ſalina volatilia urinoſa*, quæ ferè omnium ſunt potentiſſima, ut ⁓ C. C. ſalis ✱ci fulig. viper. ſang. cerv. hum. ebor. ceu quoque hæc ipſa cum oleoſis mixta, ut ⊖ia volatilia oleoſa reddita, id eminenter præſtant.

Pertinent huc quoque *fætida*, tùm *ſulphurea* magis, tùm *urinoſa*, quæ in ſyncope, ſuffocatione hyſtericâ & aliis conveniunt.

Nota: rarefactio ſanguinis duo notat; 1. ſpirituum deficientium reſtaurationem, quod maximè fit per balſamica, ſulphurea; 2. motum & fluxilitatem inprimis ſeri vigorantia, quod magis fit per ſalina.

Vel II *rarefactionem impedientia*, quæ, uti jam dicta ſulphureas balſamicas & mercuriales volatiles particulas in corde & ſanguine reſtaurant: ita hæc eaſdem nimis efferatas deprimunt. obtundunt, præcipitant. Suntque

Vel *aquea*, diluentia, & ſerum reſtaurantia, cujus defectus rarefactionem inter alia reddit majorem, ut ▽æ cordiales temperatæ, endiv. acetoſæ, cord. H. S. frig. ſerum quoque lactis, &c. quæ diſpergentia magis partes volatiles enervant. Ex quo patet, julapia, potumque ipſum largiorem in febribus concedi debere, nec ægros cogendos adeò ſtrictè ad ſitim.

Vel *acida*, quæ inter hæc præcipuè eminent, unde inſtar regulæ eſſe poteſt: *Acidum obtundit ſulphur*, ut ſuccus citri, granat. acid. acetoſa, acetoſella, ⁓ minerales acidi, ⊖, ⊕li, trium mineralium, ſeu clyſſus ♁ii ♀ratus. phlegma ⊕li, & cum his parata, Ra viol. roſar. 4. flor. cord. &c.

Digitized by Google

Vel *nitroſa*, quæ itidem ſulphur infringunt, debilitant, exhalationē ejus promovent, & egregiè attemperant, ſerumq; ipſum vigorant, & ſibi reſtituunt, ut lapis prunellæ, ⦶ diat. perlat. &c.

Vel *terrea, abſorbentia* & *præcipitantia*, ut coralia, perlæ, lap. pretioſi, lapis bezoar, conchæ imò ipſæ, unicornu, &c.

Et hæc in omni febrium genere locum ſuum tuentur, & ebullitionibus bilioſis aliis, (*bilis* enim *maximè ſanguinem rarefacit,*) unde in affectibus ab irâ, in maniâ, deliriis, phrenitide, febribus ardentibus Hungaricis, &c. eximiè proſunt.

Vel reſpiciunt conſiſtentiam ſangvinis, & ſunt III. *reſolutionem impedientia, & fatiſcentem σύςασιν conſervantia*;

Seu ſulphur *concentrando*, ut *acida*, unde potiſſimum hæc externè in reſolutionibus ſpirituum impediendis omnium ſunt nobiliſſima, & conveniunt in ſyncope, lipothymiâ, ſudoribꝰ colliquativis & ichoreſcente ſanguine, cum madore, &c. qualia jam ſuprà recenſita, inprimis verò ✝ ſimplex & rutaceum, bezoardicum, rubi idæi, &c. item *frigida* actu externè, ▽ frigida, roſarum.

Seu *ſerum attemperando*, ut *aquea*, inprimis *emulſiones*, quę aliquid mucilaginoſi ſecum habent, unde horum uſus in febribus malignis, præſertim, ubi ἀγρυπνία & delirium urget, eſt nobiliſſimus.

Seu *vinculum utriusque*, ſeri & ſanguinis, *firmando* quaſi, *concentrando* leniter, *& colligendo*, ut *mucilaginoſa* & *terrea adſtringentia*, item *balſamica* temperata, v. gr. C. C. philoſ. ebur ſine igne præp. gelat. C. C. os cord. cervi; bol. Arm. 🜃a ſigill. balauſt. & ex calidis cinnamomum, ⊕ ♂tis, quæ terreâ ſimul gaudent qualitate.

Pertinent huc etiam ipſa *opiata*, compertum enim eſt experientiâ practicorum, in ſpirituum vitalium & ſanguinis reſolutione convenientiſſimè dari laudanum opiatum; ſed parcâ & refractâ doſi, ut hoc modo ulterior ſpirituum diſſolutio impediatur. Unde hoc caſu laudatiſſimus eſt *pulvis* noſter *abſorbens*, deſcriptus *in opiologiâ*, addita guttulâ unâ vel alterâ olei caryophyllorum. Effectus inde vidimus admirandos in ſyncopticis, hyſtericis & aliis, de quo alibi latius. Miſceri poſſunt hæc opiata, vel cum *ſpirituoſis analepticis*, ut conf. alkerm. ut hoc modo & diſſolutio prohibeatur, & materia ſuppeditetur ſpiritibus: vel cum *terreis abſorbentibus & reſolventibus*, ut & hoc modo conſiſtentia ſanguinis reſpiciatur.

Vel

Digitized by Google

Vel IV. ſunt *reſolventia*, quæ ſanguinis grumeſcentiam & veluti coagulationem reſpiciunt, unde in motu ſuo quaſi ſubſiſtit, reſolvunt & diſſipant, incoctionemque ſeri impediunt, adeoque quædam & impedimenta removendo mediate rarefactionem adjuvant Suntque tùm *balſamica* jam tacta, tùm *putredini reſiſtentia* quælibet, ut & *diluentia aquea*, tùm præcipuè *terrea*, quæ aliàs ad caſum ab alto, pleuritidem, &c. proficua ſunt, ex coraliis, lapid. ♋, ♁ diaph. & jam tacta alia. Hinc quoque *acida*. Acida enim hæc, ut ſuo loco jam anteà diximus, medio quaſi loco ſunt, quæ ſcilicet & ſanguinem reſolutum coagulant, & coagulatum reſolvunt. Ex utroque enim caſu grumeſcit quaſi ſangvis, tùm nimiâ reſolutione, tùm nimiâ coagulatione. Hinc notandum, *acida bezoardicis juncta ob penetrantem ſuam vim virtutem bezoardicam & ſudoriferam intendere*, exemplo miſturæ ſimplicis, ubi nec ~us theriacalis, nec ~us ♀ri adeò ſudorem movet, multò minus ~us ⊕li; hæc verò juncta optimè id efficiunt. Referri huc poſſunt, quæ jam de primâ claſſe rarefacientium dicta ſunt. Conveniunt verò hæc itidem in palpitatione cordis, ſyncope, febribus malignis, &c.

Et quæ hæc eminenter præſtant, quæ ſcilicet ſpirituum & ſanguinis σύςασιν tuentur & conſervant, ut neque ad fuſionis, reſolutionis, ac ichoreſcentiæ ſtatum, nec coagulationis, declinet, propriè ſunt & dicuntur *bezoardica*, de quibus inferiùs ſeorſim plura Præſtant id quoque diaphoretica omnia, & inprimis alexipharmaca.

Neque obſtat, hæcce, præcipuè verò temperata, non immediatè ad cor ferri, ſatis eſt quòd operationes ſuas ſtatim è ventriculo in ſanguinem vibrent, cujus hinc craſis mutatur, ac energia, & effectus ad cor reſultat, imò ſæpe talia cordialia cauſam ſaltim antecedentem reſpiciunt & tollunt; finem tamen horum operatio in corde conſequitur.

Quoad legitimum Administrandi et Applicandi Modum notetur,

1. *Alterationem exceſſivam in utramque partem cordi non convenire*, hinc à refrigerantibus nimis, aut calefacientibus exceſſivè cavendum eſt: illa enim motum ſpirituum præpediunt; hæc eoſdem diſſipant.

2. *Ubi*

2. *Ubi debilitas virium, non ſtatim ad confortantia cordialia, nec ad illa quidem ſola, confugiendum*; ſed cauſæ ſunt removendæ, ſive plethora ſuffocans ſpiritus, ſive cacochymia inquinans: unde ſæpe vel V.S. vel purgatio rem ſuſtulerit. Error hic vulgi eſt.

3. *Volatilia qualibet intra mediocritatis terminos conſiſtant*, tùm in diæteticis, tùm pharmaceuticis præſidiis, idque & in ſulphureis & urinoſis. Sic qui in juventute vini vel ♈i potui nimis indulgent, hinc ſuccedente ætate robur ventriculi perdunt, quatenùs calor decreſcens fortius hinc poſtulat calefaciens. Sic & camphorata & olea ♌lata ſæpiùs lædunt. Hinc

4. *Nunquam ita eſt rarefaciendum, quin ſimul attendamus ſanguinis conſiſtentiam,* ut in ſtatum naturalem afferatur; *nec ita reſolventibus utendum, quin tonum ſanguinis & rarefactionem debitam obſervemus.* Unde peccant, qui v. gr. in febribus malignis ſolis volatilibus, & perpetuis ſudoribus ægros exhauriunt, cùm tamen diſcutere quidem & rarefactionem conſervare, nimiam verò temperare deberent. Sic qui reſolventibus incautiùs utuntur, facilè ſanguinis compagem laxam nimis reddunt, ut quaſi diſpereant & diffluant ſpiritus, quod in ſpecie de cinnabarinis notandum, ea enim maximè reſolvunt ſanguinem; ſed, ne quid nimis, & ubivis, præmiſſis univerſalibus, interponenda tonica, modicè adſtringentia.

5. *Penetrantia ſint cordialia*, tùm externa præcipuè, tùm interna, quæ ſpirituum reſtaurationi & grumeſcentiæ majori debentur, unde in epithematis additur commodè acetum, camphora, &c.

6. *Cordialia confortantia probè ſunt diſtinguenda*, unde, ubi ſerum v. gr. magis deficit, vix aliud meliùs profuerit, quàm actu humida, aquea, non omiſſis acidis, nitroſisve, & contrà, ne unum pro altero demus, vel confundamus eadem.

7. *Moſchatis*, quæ maximè rarefaciunt ſanguinem, *non nimis eſt tribuendum*; dum enim nimis exaltant & intendunt particulas mercuriales, loco confortationis facilè naturam lædunt, proſuntque ferè magis externè, quàm internè, vel ſaltim non niſi juſto tempore. Habent ſuum uſum, ſed rectè uſurpata.

Digitized by Google

Lib. I. Sect. III. Caput VI.

De ſtomachicis.

Quæ ventriculo debentur, Stomachica medicamenta, illâ gaudent prærogativâ, quòd immediatè ad eum deferantur, infracta accedant, & ab eodem in proprium commodum actuentur, unde tantò præſentiùs, modò reliqua conſentiant, opem viſceri, cui debentur, ferunt; hinc etiam eò feliciùs datur cogitandi occaſio de horummet agendi modo.

Respiciunt verò hæc, ex hypotheſibus in pathologiâ à nobis conceptis,

Vel I. *calorem*, labefactatum & roborandum, qualia inſtaurantia ſunt quidem varia, ea tamen generali ratione hâc conveniunt, quòd ſulphure oleoſo, volatili, aromatico, & ſuavi polleant, quæ ſub ſe comprehendunt & ſunt,

1. *Aromatica*, ut aromata κατ' ἐξοχὴν dicta omnia, cardamomum, cubebæ, macis, nux moſch. & alia hinc inde enumerata è radicibus quoque, plantis & corticibus plura, ut radix pimpinellæ, cinnamomum, mentha, &c.

2. *Oleoſa balſamica*: ut ambra, balſamum de Peru &c. gaudet enim hoc ipſum balſamicâ acredine, unde in vomitu, inappetentiâ, & aliis vitiis à *Riverio* commendatur: item *olea aromatica ætherea*, cinnam. caryoph. piper. &c. Hinc ab uſu olei antifebrilis noſtri, quod inter alia recipit olea hæc duo potiora, hinc vidi ſæpius appetitum valdè auctum.

3. *Volatili ſale*, inprimis oleoſo, *referta*, piper, ſinapi, Zingiber.

4. *Spirituoſa*, ut vinum, vinum Rhen. malvat. de alecante, vulgo Petri Simonis, 🜄i, menthæ, juniperi, corticum citri, & plures compoſiti, quò & ex compoſitis eſſentiæ & elixiria ſtomachica pertinent.

5. *Amara*, ut abſinth. commune & pont. aloe, elix. proprietatis.

6. *Carminativa*, ex aniſo, fœnic. caro, &c.

7. *Leniter adſtringentia*, ut cinnam. maſtiche, coriandr. cydon. pulveres peptici.

8 *Nervina, cephalica*, ut caſtoreum, marrubium, &c. maximus enim, ut ſæpe diximus, eſt conſenſus ventriculi cum cerebro.

Atque hæc proſunt in anorexiâ, dyſorexiâ, chylificatione læsâ, ructibus, ſingultibus, cardialgiâ, ubi inprimis oleum caryophyllorum & carminativa conveniunt: coctione læsâ, inflatione, vertigine ſympathicâ, aliisque ventriculi à frigiditate oriundis ſymptomatis.

Calorem verò *exceſſivum* eadem ferè corrigunt, quæ fermentum vitioſum, de quo mox dicturi ſumus.

Vel II. reſpiciunt *fermentum*, quod menſtruum ventriculi appellare ſoleo. Licet verò ad hujus reſtaurationem facientia multùm conveniant & coincidant cum jam dictis, quatenus & illa acrimoniâ ſalinâ gaudent; attamen notare ſaltim placet hoc, quòd, ut ſulphurea, ſeu, quæ ſulphureo principio referta ſunt magis, balſamica oleoſa, magis reſpiciunt calorem debilem, eundemque vigorant ac vegetant: ſic ſalina magis fermentum. Dantur enim caſus, ut calor quidem ſic ſatis ſibi conſtet, impeditum tamen ſit fermentum, nec ſui juris, ut hinc abſolvi feliciter coctio non queat; licet optimum ſit, ut cauſæ hæ ſociæ, quæ ſtant pro unâ, ſimul attendantur. Hinc etiam, quod cautelæ loco eſſe poteſt, videndum, ne, dum calorem roborare intendimus, fermentum deſtruamus, quod potiſſimum fit ſpirituoſis, ut 🜄i, &c.

Acuunt nempe fermentum, & inſtaurant iners & deficiens omnia ſale vel acido, vel volatili potiſſimum referta,

1. *Acria omnia*, ut ſal commune, quod hinc non tantùm ad ſaporem; ſed etiam ad fermenti ſtimulum maximè prodeſt, item jam dicta piperata, plantæ antiſcorbuticæ, rad. ari, intinctus, ſeu embammata, condimenta, muſtarda Italorum, & ſimilia. Corrigunt hæc cruditatem acidam, & humores viſcidos pituitoſos attenuant.

2. *Acida*, ut 🜊, quod & potu & fotu ſtomacho conducit, modicè adhibitum: item ∽us acidi, ⊖lis, ⊕li ſimpl. & ♀, quod

acetum

acetum eſurinum hinc apud chimicos audit. Sunt, qui ipſum fermentum panificum non inconſultò in pilulas redigunt, & pro fermento ſtomachi vegetando propinant. Corrigunt hæc cruditatem nidoroſam & pituitoſam.

3. Referri huc poſſunt *tunica ventriculi gallinæ*, *ardeæ*, &c. quæ vulgò quoque pro roborando ſtomacho & fermento reſtaurando commendantur; verùm vix ab iis conſtans auxilium ſperandum eſt, vel ipſo *Galeno* aſſentiente, niſi forſan per accidens, uti mox dicemus, quatenus bilioſos humores, pervertentes fermentum, unà abſorbent.

Hæc, inquam, robur addunt menſtruo, ut diſſolutioni & concoctioni ciborum ſufficiat ventriculus. Quæ enim plura adduci poſſent, illa ſunt, quæ in primâ claſſe dicta ſalinâ quoque ſimul pollent vi, unde ea repetere non opus eſt.

His appetitus reſtauratur, acuitur, cruditates tolluntur, &, ut chyloſis ritè fiat, impedimenta auferuntur, unde quaſi externi ventriculi vicem ea obire eleganter ſcribunt chimici.

Notandum hoc loco, quòd optimo conſilio maritentur, & ita diſponantur ſtomachica ut & ad fermentum & ad calorem habeatur reſpectus, quod fit mixturâ utrorumque, tùm jam dictorum, tùm dicendorum; ſic ~us ⊖lis dulcis, ſic elix. ⊕li Mynſ. ſic elix. propriet. cum ~u ♀is maritatum conveniunt.

Fermentum verò *excedens acrimoniâ*, ſive *ſalinâ*, ſive *bilioſâ*, quo & calida intemperies pertinet,

1. *Corrigunt* tùm *obtundendo* 1. *pinguia*, qualia autores commendant in bulimo & appetentiâ caninâ: tùm *diluendo*, ut 2. *aquea*: tùm *invertendo* & *abſorbendo*, ut 3. *lixiva* & 4. *præcipitantia terrea*, quæ alcalina audiunt, ut lapides ♋, ebur, conchæ, & teſtacea alia.

Ubi notandum: hæc ipſa quoque per accidens reſtringendo quaſi & in ordinem redigendo præcipuè acidum excedentem in ventriculo humorem, quandoque poſſe appetitum ciere & reducere, tùm ſola, tùm cum aromaticis mixta, quale exemplum eſt in tragæâ ſtomach. Quercet. ſeu Bircmanni. Sic obſervavimus ſæpiſſime pulveres præcipitantes, v.gr. vel ex ſolis

conchis præparatis cum cinnabari nativâ, item pulverem noſtrum abſorbentem excitâſſe appetitum, inſigni & notabili cum juvamine.

Attendenda enim eſt tùm proportio acoris in ventriculo p. n. ſe exſerentis, neque enim fermentum ventriculi legitimè habet, ſi exceſſivè ſit acidum, tùm uſus continuatio. Omnia enim lixiva, omnia alcalina aliàs appetitum deſtruunt, & fermentum enervant: unde in bulimo ☍ ♀ri per deliquium arcanum eſt non contemnendum.

Sic etiam 2. *pervertunt* fermentum porrò 1. *dulcia*, quæ mucilagine ſuâ ipſius acrimoniam ſalinam, (ſcil. nimiâ quantitate ſumta,) obtuſcant & obtundunt; 2. *acido-ſalſa*, uti v. gr. obſervatum eſt, arcanum ♀ri, laudatiſſimum aliàs medicamentum, frequentiori uſu appetitum dejeciſſe. 3. *nitroſa* omnia, illa quippe & calorem exſolvunt, & menſtruum ſalinum diſſolvunt quaſi & disjiciunt, unde in nitroſorum uſu continuò reſpiciendum eſt, ne turbas dent in corpore. 4. *Saturnina*, dulcia præcipuè & terrea, unde in ſacchari ſaturni & inde præparatorum uſu cavendum eſt ſemper, ne lædatur ventriculus. Solent enim ut plurimùm, v. gr. à ℞â antiphthiſicâ ægri pollutione nocturnâ laborantes, præſertim largiori & continuatâ doſi, perdere appetitum. 5. *lixiva urinoſa, fortiora*, ut ∼us ⊖lis ✶ci.

3. *Figunt* denique fermentum, & *obtundunt opiata*, quæ ventriculo, ut tali, non conveniunt, cujus prædominium niſi præpolleat, mane altero facile ſequitur vomitus, & ab opiatorum uſu dejicitur appetitus. Uti enim ventriculus ſulphure balſamico coctо & puro gaudet; ita ab immaturo, impuro, ingrato malè habet, exemplo vomitoriorum, ♀ris ♁ii etiam, &c. opium quippe non ritè correctum eundem cenſum ſubit. Ipſa hæc etiam valent de bile.

Conveniunt verò hæc recenſita in omni exceſſivâ acredine, ſive cum diarrhœâ vel cholerâ ſit, nec ne, item in cardialgiâ, ubi, præter carminativa oleoſa, & anodyna temperatiora requiruntur, & ſeligi queunt, in cholerâ, ſingultu, ſodâ ſeu ardore ventriculi, ut jam dicta appetitus vitia alia non tangamus.

Exter-

Digitized by Google

Externa ſtomachica potiſſimùm debent eſſe 1. *acida*, ut fermentum, acetum. 2. *aromatica*, dicta, *cum vino*, ſive emplaſtri, ſive cataplaſmatis formâ. Suntque potiſſimùm reſolventia & revellentia, ut in ſingultu, vomitu: item carminativa; terrea minùs proſunt.

Circa Materiam ipſam inprimis ſelectus locum habet in ſtomachicis, tum quoad vires in genere, tum reſpectu agendi modi.

Quoad legitimum Applicandi Modum in genere, cùm delicatus ſit ventriculus admodum in horum alterantium receptione, variæ cautelæ ſunt obſervandæ.

1. *In omnibus alterantibus attendendum eſt ventriculi robur*, quod fit potiſſimùm, ſi calor in æquilibrio, fermentum quoque in naturali ſtatu vel hujus æmulo conſervetur, & inprimis, ut parietes ejus & villi moderatè adſtringentibus firmentur.

2. *Non obtundendus calor nimis calidis, quorum particula volatiles evaporant, reliqua verò craſſa terrena ſubſtantia ſubigi non poteſt.* Sic raphanus ruſticanus convenit quidem moderatâ quantitate, ſed tantùm robuſto ventriculo; debilem verò lædit. Sic apud *Platerum l. 2. obſ. p. 435.* in defuncti principis eccleſiaſtici cadavere reperta fuit libra una Zingiberis.

3. *Magis refrigerantia nocent, quàm calefacientia*, ex eâdem ratione, ac de cephalicis ſuprà diximus: eſt enim viſcus naturâ ſuâ frigidum, unde maximè læditur à frigidis externè, & infantes detecto corpore dormientes facillimè vomitum experiuntur.

4 *Nunquam nimis humectandum.* Omnia quippe laxantia, ex jam tactis, tonum ejus debilitant & flaccidum reddunt. Hinc nulla conveniunt tepida, (roborandi ſcilicet uſu;) hinc decocta ſtomachica minùs uſitata, facileque potiùs eundem lædunt, quàm juvant. Hinc pinguia & oleoſa non aromatica ipſum debilitant, & præcipuè in humidâ intemperie vitanda ſunt. Sic & unguenta pinguia ex oleo olivarum cocto, licet vulgò laudentur, eundem laxant magis & lædunt.

5. *In intemperie calidâ & ſiccâ vitanda ſunt acida, & uſurpanda acredinis expertia, vitandi etiam pulveres*, niſi valdè diluantur: aliàs adhæ-

adhæreſcunt; conveniunt verò mucilaginoſa. Hinc in tali ventriculi diſpoſitione ∼us ⊕li vel ⊖is aſſumti uredinem inducunt ſtomacho. Spoliatus enim eſt nativâ ſuâ viſcedine fermentali, unde facillimè ſequitur ejusdem eroſio. Contingit hoc præcipuè in bilioſis, & qui vini potu nimio diſtenderunt priùs tunicas ejusdem, unde acrimonia plicis ejusdem extricatis penitiùs inſinuatur.

6. *Topica applicantur vel dorſo*, quia illuc orificium ſuperius recumbit, *vel anticæ parti*, ubi hepate ex parte tegitur. Et poſſunt quidem aromatica & penetrantia emplaſtra dorſo applicari; frequentiùs tamen & uſitatiùs anticè, ubi magis nudus eſt, applicantur, niſi eo caſu, ubi ægri dorſum ex vitio ventriculi dolere memorant, circa interſcapulium ferè, quod ſæpe fit, præſertim in fœminis.

7. *Quæ verò foris applicantur, eâ cautione egent, ne iis contraria intemperies inducatur*, præcipuè quoad frigida & humida, adeoque, ne, dum prodeſſe unâ volumus, alterâ manu lædamus. Hinc quoque non in quibusvis ventriculi affectibus ſtatim ad ea confugiendum ſed vel defendendi, ut in balneis, acidulis, &c. vel revellendi, reſolvendi & roborandi ſaltim fine potiſſimum.

8. *In alteratione ventriculi cavendum eſt, ne alia viſcera lædamus, tùm internè, tùm externè*, & inprimis ne lædatur hepar, quod proximè accumbit; quod fit, ſi mediocritatis terminos non excedamus.

9. *Roborantia* magis *vacuo ventriculo danda*, quàm repleto, exceptis illis condimentis medicamentoſis, quæ ad ciborum correctionem apponi conſuevere. Poteſt tamen & in his excedi, ut lædatur potiùs, quàm roboretur, v. gr. uſu ſinapi & aliorum.

10. *Non obruendus copiâ medicamentorum quorumvis, tùm ſibi dicatorum, tum aliis*, inde enim ut primum commodum ita & primam labem ſentit. Sic & in epiſcopo quodam magiſterium perlarum fuit repertum, in aliis alia.

Lib. I. Sect. III. Caput VII.

De hepaticis.

Cùm

Cùm hepar poſt cor unicè quaſi diſpenſet calorem totius corporis, hinc de illud alterantibus, quæ ex parte cum toto ſunt communia, meritò quoque dicendum venit.

Quoad Agendi Modum ergò reſpiciunt hepatica quaſi in ideâ & ſummatim tùm ejus *vaſa*, *ductus* & *poros*, in concreto ſimul reſpectu habito ad *vaſa lymphatica* & *veſiculam biliariam*: tùm *bilem*, quam ſegregat & tranſcolat, tùm *tonum* ſeu *villos*, *fibras* & *parietes*.

I. *Ductus* potiſſimùm reſpiciunt *aperientia*, maximè enim & præ omnibus aliis viſceribus id obſtructionibus eſt obnoxium, ob copioſiſſima, quibus gaudet, vaſa, adeoque præcipua hepatica ſunt quoque aperientia. De illis verò ex ſuprà dictis huc pertinent, quæ de aperientibus, quæ & qualia ſint, recenſuimus. Hinc etiam huc ſpectant *diuretica*, quæ, niſi ſiccior ſimul adſit intemperies, &, ſi hæc adfuerit, dilutiora, hepati maximè conveniunt.

Sic, ut quædam ſolùm hìc repetamus, conveniunt 1. *amara*, quæ viſcedinem bilis extergunt, incidunt & attenuant, ut *cichorium*, *abſinthium*, *centaureum minus*. 2. *partium tenuium* alia, ſive *aromatica*, ut calamus aromaticus, ſpica, &c. ſive *acida*, ut hepaticum rubrum, ~us minerales, ſive 3. *abſorbentia*, lixiva, & imprimis *martialia*.

Hæc verò uſum habent eximium in obſtructionibus, mucilaginoſâ nimis bile, ictero, hydrope, cachexiâ, & ſimilibus.

II. *Bilem* porrò reſpicientia, ut alia minutiora jam non attendamus, duplicis ſunt generis, vel enim eandem *reſtaurant*, ſi *iners* ſit & *deficiat*: vel *excedentem irruentemque refrenant*, *exſuperantem imminuunt*, *effervescentem* & *urentem quaſi mitigant*.

Quæ bilem *reſtaurant*, partim contraria ſunt fermentum ventriculi reſtaurantibus, & eadem ferè, quæ diximus calorem ventriculi adaugentia, nempe 1. *ſulphurea balſamica*, ut aromata omnia id efficiunt, cinnam. macis, ambra; item *ſpirituoſa*, ut vinum, 🜄, & ſimilia; 2. partim eadem, *ſale volatili & ſimplici & oleoſo acri pollentia*, ſinapi, eryſimum, naſturtium, quæ eidem quaſi ſtimulum addunt. Conſtat enim, ut hoc obiter libemus, præcipuè,

Digitized by Google

cipuè, 1. ex *partibus oleoſis, ſulphureis, balſamicis.* 2. *ſalinis volatilibus*, quæ utraque mucilagini cuidam aqueæ paucæ ſunt immerſa, & particulis aqueis limitata.

Pertinent huc quoque *dulcia*, quæ bilem quoque adaugent, & quidem conferendo partim partes *mucilaginoſas, viſcidas*, unde & obſtructiones gignere eadem ſcribuntur, partim etiam *ſulphureas*, ſi in calidius & ſiccius corpus incidant.

Cumque dulcium meminiſſe contigerit, inquiremus unà hoc loco, cur *Galenus l. 8. de compoſ. medicam.* κτ̀ τόπυς uvam paſſam hepati totâ ſubſtantiâ familiarem eſſe ſcribat, &, cur ſaccharatis id non æquè tribuatur. Iſta dulcium paſſularum cum hepate familiaritas locum dedit electuario de paſſulis, quod & electuarium de vino appellatur, quod hepati roborando convenientiſſimum vocat *Riverius*, & commendat ad hydropem *in inſtitut. p. 373.* qui etiam ab uſu hujus electuarii, quod ibidem deſcribit, aliquot pueros curatos ſe vidiſſe aſſerit. Ratio nempe eſſe poteſt, quòd bilis fluxilitatem & inertiam temperent, & ſimul blandè humectent; id verò ſaccharata non præſtant.

Et hæc conveniunt in anaſarcâ, aſcite quoque ex parte, cachexiâ ſeroſâ, tumoribus laxis, &, ubi aliàs rarefactione ſanguinis opus eſt: quæ enim tunc intimiùs rarefaciunt, illa & bilem exaltant. Proſunt porrò phlegmaticis, nullâ quaſi irâ, nullo quaſi felle gaudentibus, torpidis, &c.

Bilem verò *excedentem refrenant* & *temperant* tùm per accidens partim *aperientia* quædam jam dicta, ut in ſpecie *cichoracea*, ubi notandum, quædam dici refrigerantia, quæ tamen ſunt calida, exemplo horum ipſorum, quatenus nempe repagula laxant, & ſimul blandè abſtergunt; partim *evacuantia chologoga*; tum per ſe

1. *Diluentia*; ſic in febribus tertianis, & ubi aliàs bilis peccat, inter alia prodeſt inſigniter ſerum lactis caprini cum pauxillo cinnamomi vel aniſi decoctum, ſive anima rhabarbari unà aſſumatur, ſive clyſſus ōn inſtilletur, quod utrumque nobis in uſu eſt felici. Pertinent huc quoque potiones, acidulæ, infuſa, &c.

Hæc ipſa verò diluentia etiam vehiculum conſtituunt aperienti-

rientium, unde notandum, in ictero magis diluentia, in hydrope magis ſiccantia aperientia convenire. Et illa ipſa aperientia unà diluentia lympham expediunt, & liberum reddunt ejusdem motum, ſerumque unà reſtituunt, quod frenum eſt & dicitur bilis, quòd eandem diluat, ſive intelligatur bilis *alimentaris*, quæ pars eſt maſſæ ſanguineæ, & rectiùs dicitur ſanguis bilioſus, ſive bilis *excrementitia*, ita ad differentiam dicta.

Pertinent huc quoque 2. *amara* ex jam dictis rationibus; illa enim & abſtergunt, & bilis poros aperiunt, ut ad inteſtinum magis cieatur & evacuetur. Sic ut de abſinthio nihil porrò dicamus, nota eſt aloes vis cholagoga, adeò, ut, ſi continuatis doſibus ſumatur, teneſmum hæmorrhoidalem certo certiùs excitet, ob id maximam partem, quòd bilem eò protrudat, de quo alibi plura. Sic rhabarbarum dicitur anima hepatis, tùm, quia partibus acribus amaricantibus bilem expedit, tum quia unà partibus terreis villos roborat.

3. *Acida*, quæ nominetenus ſemper repetere vix opus erit: inprimis huc ſpectat acidum ♀ri rubrum ſandalinum, ſive hepaticum rubrum Dresdenſe, quod, tùm in variis aliis caſibus, tùm in varis, guttâ roſaceâ, pollutione nocturnâ, &c. prodeſt. Hæc quippe acida partem bilis ſulphuream domant & obtundunt, volatilem verò ſalinam figunt & enervant.

4. *Terrea & abſorbentia*, inprimis *nitroſa* & *alcalina*, ſic & ipſa ſalia lixiva huc ſpectant, item teſtacea, coralia, perlæ, ſpecies & pulveres, &c. item ipſa *nervina*, ſive cinnabarina, quæ in affectibus hepatis comperimus proficua, & dolorem hypochondrii dextri contumacem, cum lichenibus toto corpore ſe exſerentibus, hiſce potiſſimum ſolis feliciter curavimus.

Notandum enim eſt, teſte experientiâ, terrea & bilem, ſive bilioſos humores, præcipitare ac abſorbere, & acidos, ipſosque ſeroſos. Unde concludere abſolutè non valet: ubicunque proſunt medicamenta alcalina, ibi peccat acidum; teſtatur enim experientia, in plurimis ægris & affectibus terrea prodeſſe, ubi omnium conſenſu acidum non peccat, ſed bilis regurgitat & ſpumeſcit, quam diſſociant, inhibent, & in motu ſuo præternaturali refrenant.

Digitized by Google

III. *Tonum* denique & *villos roborant* tùm 1. *moderatè adſtringentia*, unde ferè inſtar canonis apud practicos invaluit, hepar gaudere adſtrictoriis, de quibus paullò poſt pluribus dicemus; tùm 2. *abſorbentia*, inprimis martialia, & ex his vitriolata, illa enim itidem, & quidem maximam præ omnibus aliis roborandi hepar vim obtinent: tùm 3. *temperiem quamvis exceſſivam corrigentia*, inprimis verò humidam, & conſequenter laxam. Hinc proſunt hepati quoque *mercurialia*, & ☿ius dulcis in ſpecie maximè laudatur, tùm ab aliis, tùm ab ipſo *Paracelſo*: quo ipſo etiam cum bezoard. martiali ſcribitur à *Sennerto* derelictus curatus quidam hydropicus, non aliâ ratione, quàm, quia ☿ius dulcis fluxile reddit ſerum, unde obſtructiones expedit, laxitatem ob aliò diverſum ſerum & commodioribus locis hinc excretum curat, &c. Sic & antimoniata, quatenùs egregiè præcipitant & ſiccant, conveniunt, diſcutiendo humores ſuperfluos. Sic martialia jam laudata inprimis id præſtant, unde & cautela circa eorum uſum, & unà locus elegantiſſimus notari meretur, apud *Guilelmum Gilbertum lib. 1. de magnete cap. 15. p. 36.* dari, *ait*, præcipue martem in hepatis laxis & præhumidis malis, quia exſiccat: item in chloroſi, lienibus magnis, ubi ſcilicet humor abundat. Negat autem maximè illud in obſtructionibus, & conſequenter in hydropicis & hepatis ſcirrho laborantibus, ictero, melancholiâ hypochondriacâ, quibus propinari *addit* non ſine ægrorum multorum certâ pernicie. Item urget *Fallopius*, idem etiam *Conringius l. 2. Hermet. medic. cap. 5. p. 238.* ad aquâ ſaltim tumidos ſcirrhoſos lienes, quales ſunt plerumque, concedens.

Helmontio

Nos verò moderabimur paullò hæc ita: Ubicunque adſunt obſtructiones viſcerum, hepatis & lienis, cum humore excedente, & hepate non nimis ſicco, ibi magis conveniunt martialia in formâ ſiccâ, ut crocus, pulvis cachecticus, flores martiales. Ubicunque verò unà ſiccitas adeſt & ſcirrheſcentia, ibi magis humida, vel ſaltim non ſine diluentibus.

Sic etiam *Septalius* aliique idem de *rhabarbaro* ſcribunt, illud in ſiccâ intemperie potius eſſe mortem hepatis; verùm eadem valent de eo, quod jam de *martialibus* diximus.

Et hæc propriè ſunt roborantia hepatica, quæ tùm in va-

riis

Digitized by Google

riis aliis affectibus ſimul ſunt attendenda, tùm in cachexiâ, tumoribus laxis, hydrope &c.

Quoad Applicandi Modum notandum:

I. *Continuo aperientium uſu læditur hepar.* Hinc errant illi, & ægris nocent, qui meris incidentibus, acidis, volatilibus, decoctis aperientibus obſtructiones vaſorum expellere conantur, quod ipſum & de purgantibus valet. Hinc, ubi pororum adeſt obſtructio, aperiendum quidem; ſed ita, ut ne videamur impetuosè nimis id facere & naturam lædere. Exempla talia in hypochondriacis ſæpe viſuntur.

II. *Adſtrictoria in hepatis affectibus non ubique locum habent.* Diximus quidem roborantia ſimul debere eſſe tonica, & villos roborare particulis terreis; attamen dantur quoque caſus, ubi ab adſtringentibus eſt cavendum, v. gr. quando ſcirrheſcit hepar, quando icterus adeſt, & obſtructiones contumaces, non æquè proficua ſunt. Adſtrictoria verò nominamus, quæ laxati viſceris tonum prohibent.

III. Hinc, *quæ adſtringendi viribus pollent, faciant id cum tenuitate partium, quæ aperiunt, cum partibus terreis.* Illa, ut vis eorum penetret; hæc, ne nimis laxent tonum: quod intus & extus valet. Exemplo ſunt amara.

IV. *Sirupis non fidendum inter aperientia & hepatica.* Dulcia enim facilè lædunt hepar, quòd bileſcant, unde facilè generantur obſtructiones, de quo mox.

Lib. I. Sect. III. Caput VIII.

De ſpleneticis.

G*Alenus lib. 5. de ſimpl. med. facult. cap. 13.* reprehendit Theſſalum, quòd medicamenta quædam hepatica, ſplenica, nephritica eſſe negarit. Hodiè ſplenica medicamenta vix concedunt ii, qui lienem ab omni planè culpâ & reatu abſolvunt. Sed, uti in pathologiâ de hoc ſatis agimus, ita hoc loco ſaltim luſtrabimus decantatam ſplenicorum claſſem.

Ut hepar ſulphur ſanguinis diſpenſat magis, ita lien ſal ejusdem & ſerum. Conveniunt verò medicamenta ſplenetica cum hepaticis,

Digitized by Google

ticis, & ferè una eademque ſunt; reciproca quippe & mutua. Hinc itidem huc aperientia potiſſimum ſpectant, quæ non tangemus iterum. RESPICIUNT nempe ſplenica

Vel *humores acidos auſteros*, figentes ſanguinem, & melancholiam, torporem, &c. inducentes, uti ſunt 1. *aquea diluentia & mitigantia* quævis, inprimis nitroſa, ſerum lactis caprini, acidulæ, thermæ, quæ maximam virtutum partem præter ſalia mutuantur ab aqueis particulis. 2. *Lenia aromatica & amara* jam recenſita ſub hepaticis. 3. *lixiva fixa & volatilia alcalia*, ſic ⊖ abſinthii, centaurei minoris, ℞a ♀ri, ∽us ⊖lis ✳ci & inprimis plantæ antiſcorbuticæ, arum, cochlearia, chelidonium minus, hepatica nobilis, lepidium, naſturtium, ſedum minus, draco eſculentus, trifolium fibrinum, raphanus ruſticanus, &c. huc pertinent. Sicut enim humores iſti acidi concentrant & figunt ſanguinem, ita hæc ipſa volatilia, ſalina & ſulphurea eundem expediunt, ſubtiliſant, & volatiliſant, ut ex amurcâ illâ, ad quam redactus eſt, vigoretur denuò. 4. *terrea ad alcalinorum naturam accedentia & reſolventia*. Sic lapides ♋ bullitos cum vino & lixivioſum ſaporem indeptos maximoperè extollit *Helmontius*; ſic *Glauberus coraliorum pulverem* hypochondriacis unicè prodeſſe, quòd acidum abſorbeat, aſſerit; ſic limatura ♂tis vel in ſubſtantiâ ſumta prodeſt.

Et omnium inſtar hinc & panacea hypochondriacorum ſunt 4. *martialia*, quorum agendi ratio nulla alia eſt, licet alii aperiendo per ſe, alii, ut *Highmorus*, adſtringendo, adeoque per accidens eadem prodeſſe contendant, niſi quòd abſorbendo invertunt humores iſtos acidos, ſaturant, edulcant, & ad frugem reducunt, non aliter ac 🜊 & ∽us acidi quivis marti affuſi dulceſcunt, obtuſis eorum particulis & vitrioleſcentibus. Hæc ipſa hinc proſunt in melancholiâ hypochondriacâ, affectu hypochondriaco, doloribus hypochondriorum, cachexiâ, initio hydropis, ſcorbuto, palpitatione cordis, ſyncope, lipothymiâ, & ſimilibus. Pertinent huc quoque *vitriolata* ipſa, tùm alia per ſe proſtantia, tùm inprimis ex marte regenerata, ut ⊕lum ♂, &c. quæ ſuo modo quoque abſorbent, roborant, & ſaturant quoque acidos ponticos humores.

Digitized by Google

Vel *humores lixivioſos, acres, ſalinos*, ſive ſeorſim magis eminentes, ſive ex prædominio cum acidis concurrant. Et talia quidem, præter diluentia *aquea*, (quæ communia quaſi ſunt,) conſtituunt 1. *acida*, quatenus volatilitatem ſeri quaſi figunt, & proſunt in hæmorrhagiis nimiis cachecticorum & ſcorbuticorum, ſicut hoc modo aliquos curavimus taliter affectos. 2. *auſtera*, quæ idem quaſi concentrant, & rarefactionem nimiam impediunt, uti ſunt ℞ *antiphthiſica Grumanni, pulv. ſtypt.* &c. & conveniunt in ſero fluxiliori, in colliquativis fluxibus, ſudoribus immodicis, inprimis nocturnis: quæ in ſcorbuticis ſæpenumerò viſenda ſunt: ubi & *opiatis* interdum locus eſt. 3. *terrea*, quatenùs & ipſa abſorbent & præcipitant, & hactenùs aliquoties fuere expoſita: è ſpleneticis verò aſplenum, ſcolopendrium, &c. & tùm aliàs, tùm in phlogoſi, anxietatibus & cardialgiis, &c. hypochondriacorum conveniunt.

Vel *limoſitatem ſanguinis tartaream & viſcidam pituitoſam*, majori vel minori ſeri quantitati immerſam, qualia ſunt præcipuè 1. *acida*, unde non eſt abſonum, etiam ſpiritus minerales acidos in affectu hypochondriaco curando multum, ſi non omne, efficere quandoque: incidunt enim mucilaginem & attenuant, inprimis ~us ⊖lis, &c. Liberant hæc quoque primas vias ab inſigni mucilagine, ſtomachum incruſtante, quam vel ad urinam deducunt, vel, ut per alvum exeat, diſponunt. 2. *alcalina*, & lixiva quæ hinc audiunt *ſaponaria*, & venarum amurcam, ut loquitur *Helmontius*, inſigniter auferunt & abſtergunt, ℞ ♀*ri*, *arcanum ejuſdem*, ♀*us* ⊕*latus*, &c. 3. *aromatica*, tùm alia, tùm inprimis carminativa, quæ tùm extus, tùm intus maximè ſolent iis caſibus prodeſſe: imò utraque jam dicta in hoc tertio quaſi amicè conſpirant, ut viæ ſanguinis ſint liberæ, & ſerum in officio ſuo non impediatur; unde & amara, & reliqua huc ſpectant. Hæc etiam corrigunt μόλυνσιν illam, & ſpirituaſcentiam & aeraſcentiam ſtomachi, ſeu chyli potius, deficientem, & inprimis ſcirrhos lienis avertunt, & in quartanis atque hinc oriundis ejuſdem ſymptomatibus unicè proſunt. Fieri enim non poteſt, quin ſive fixato per acida nimis ſanguine, ſive non evolutis particulis chyli oleoſis balſamicis excrementa limoſa,

Digitized by Google

craſſa, tartarea generentur, & hinc inde præſertim verò in liene affigantur.

Obiter hîc tangemus illud curioſum; chylum nempe nihil aliud eſſe, quàm partes oleoſas balſamicas ſubſtantificè vehiculo aqueo immerſas & vectas, quod è mechanicis patet, non ſolùm exemplo lactis; verùm etiam aliis, quatenùs quælibet eſſentia reſinoſa affuſo decenter liquore aqueo albeſcit & lacteſcit, de quo alio loco plura.

Unde huc ſpectant etiam 4. *abſtergentia, diuretica, & nephritica* quoque. Certum enim eſt, & in hypochondriacis ſecerni cum urinâ ſabuloſam arenoſam materiam, de tartareâ ſanguinis limoſitate teſtantem: & calculoſos ac nephriticos pleroſque etiam ſimul eſſe hypochondriacos; & his ipſis, quod inferiùs enucleabimus latiùs, etiam anthypochondriaca deberi.

Materia ſpleneticorum, aliunde largius haurienda, ex hâc quaſi clave datâ explicari jam & capi meliùs poteſt.

Quoad Applicandi Modum jam patet

1. *Tùm in genere ſpecifica quævis, tùm in ſpecie ſplenica ſive anthypochondriaca non omnia in omnibus hypochondriacis & pro ſpleneticis habitis convenire.* Prout enim vel auſteri acidique humores, vel lixivi, volatiles, mediique, (quales inprimis reddunt ſudores colliquativos,) vel limoſitas ſanguinis magis peccat, ita etiam variat horum applicatio, ut ſiquis ordine inverſo progrediatur, & promiſcuè applicet, ægrum cumulet magis ſymptomatibus, tùm iiſdem, tum aliis, quàm levet.

2. *Volatilia tùm alia, tùm antiſcorbutica ſpleneticis ſæpe, & ipſis ſcorbuticis nocent.* Patet hoc ex jam recenſitis: ſi enim hypochondriacus gaudeat ſanguine ſalinis lixivis & alcalinis atomis repleto, ſi ſero fluxiliori & volatiliori laboret ſeu abundet, illa ſanè non conveniunt, unde promiſcuè antiſcorbutica applicare erratum eſt. Vidimus hinc ſæpe à ſpiritu cochleariæ, qui etiam ſaltim pro extractione reliquorum aperientium, v. gr. martis, fuerat adhibitus, omnia commoviſſe, & turbas dediſſe, excitâſſeque vix ſopita ſymptomata, calorem p. n. vigilias, &c.

3. *Acida verò non mrò conveniunt*, adeoque, quod jam tetigimus, non poteſt ſimpliciter & abſolutè dici: hypochondriacus

Digitized by Google

cus eſt, ergò nulla danda acida. Pertinet huc *Lipſii* illud de ♂u ⊖li encomium *cent. 1. epiſt. 81.* hic enim, cùm ob vitam ſedentariam limoſitatem ſanguinis collegiſſet maximâ copiâ, unde etiam pituitam vitream dejecit, uti ſe *ſcribit* ⊖li aceto, ſucceſſu non infelici. Si juvare ita porrò pergit, *addit*, ego inventorem hunc Deum.

4. *Temperata hinc & abſorbentia ac diluentia commodè quoque iis adhibentur.* Elegans locus exſtat hanc in rem apud *Servium l. 2. inſtit. medic. cap. 3. membro 1. p. 127.* Opportunius, *ait*, quandoque à nobis conſultum fuit hypochondriacis, refrigerantibus potiùs, quàm calefacientibus pharmacis, ſero lactis, aquis acidulis, cæterisque, quibus hypochondriorum calor, hepatis præſertim, temperaretur. Adeoque nec hæc quidem ſine activis, nec illa tamen ſine his temperatis applicanda ſunt. Ubique ſerum eſt attendendum, ut nec deficiat, nec ſalinis particulis nimis ſcateat.

5. *Validiora aperientia requirit lien, quàm hepar*, aſſertum eſt *Galeni*, quod, licet *Mercatus* oppugnet, & de externo ſaltim uſu id concedat, attamen verum eſt quoad tertiam & primam claſſem, ubi vel fixati ſpiritus & ſanguis, vel limoſitas magis prædominatur. Hinc melancholicis, v. gr. ♂us ⊖lis ✳ci commodiſſimè etiam in potu datur.

6. *Dulcia ſpleni nocent*, autore ipſo antiquiſſimo *Pythagorâ*, quem locum ex *Heurnio meth. ad prax. l. 2. p. 141.* mutuabimur. Cùm enim quidam dixiſſet: nimium me irrides; atqui, inquiebat Pythagoras, τοῖς σπληνικοῖς τὰ μὲν δριμέα καὶ πικρὰ ὠφέλιμα, τὰ δὲ γλυκέα βλαβερά, id eſt, *ſplenicis etiam acria & amara proſunt, dulcia nocent.* Unde & *Octavius Horatianus l. 2. cap. 15. p. 59.* ſpleneticis ait, expedit ab omnibus dulcibus abſtinere, quia limoſitatem ſanguinis augent, & ferè aceſcunt. Diſtinguendum tamen eſt inter uſum modicum & excedentem, non ſcilicet, niſi parcè, ſunt danda, quaſi aliorum vehicula.

7. *A martialibus aſſumtis motus eſt imperandus, & feces alvi conſiderandæ.* Motus quidem, ut torpidi humores excitentur, & medicamentum meliùs actuetur, & deſcendat. Præcipuè id valet de formâ ſiccâ, ſeu ſolidâ: niſi enim motus accedat, minùs operantur;

Digitized by Google

rantur. Feces verò, quia excrementa tinguntur martialibus, ut nigra ſecedant, ob evocatum vitriolum, indicio manifeſto, factam fuiſſe eorundem reſolutionem. Notandum verò etiam eſt, martialia hæc non danda, (in ſubſtantiâ & formâ hâc ſiccâ,) niſi robuſto ventriculo, qui, ut ita loquar, ferre & concoquere ea poſſit.

LIB. I. SECT. III. CAPUT IX.

De renes & veſicam reſpicientibus, nephriticis.

OFfert ſe hîc de NEPHRITICORUM & LITHONTRIPTICORUM agendi modo occaſio diſſerendi.

Præſuppoſito enim è pathologicis & noſtrâ experientiâ, ut plurimùm, & tantùm non ſemper, nephriticos & arthriticos ſimul eſſe hypochondriacos, id eſt, 1. calculi materialem cauſam eſſe *ξηρὸν σύστημα*, ut loquitur *Ariſtoteles l. 3. hiſt. anim. cap. 15.* id eſt, *concrementum ſiccum*, quod in ſtatu naturali cum urinâ ſecedit, (de quo alibi latiùs,) ſeu ſal tartareum, ex terreſtri & ſalinâ conſtans materiâ, licet & viſcoſus & glutinoſus humor concurrere queat. 2. illorum ſanguinem abundare particulis ejusmodi ſalinis & tartareis coagulabilibus. Hinc utut de lithontripticis ipſis inferiùs ſeorſim agatur; attamen hîc præcipuus de iis eſt dicendi locus.

Nephritica medicamenta tùm *reſolvunt*, tùm *mitigant*, tùm *pellunt*, adeoque

RESPICIUNT I. *reſolutionem coaguli ipſius*, ſeu *limoſitatem ſanguinis jam extra vaſa tendentem*, & in renibus ac veſicâ ſeparatam, neque excretam, ſive copiâ peccet, ſive deficiat expulſio ipſius naturæ, & acceſſu partium ſalinarum fixarum & volatilium in coagulum fatiſcant terreæ, qualia ſunt

1. *Abſtergentia*, tùm *aquea* & *diluentia*, quæ ſerum copioſius ſuggerunt, ut elutriari talia excrementa poſſint, ſive emulſionum, ſive aquarum, ſive aliâ liquidâ formâ; qualia conveniunt in ſabuloſis affectibus, quando copioſum ſedimentum in urinâ eſt,

Digitized by Google

eſt, & calculus in fieri, ut ſerum lactis, acidulæ, thermæ, &c. ▽æ ♌latæ, petroſelini, &c.

2. *Reſolventia ſulphurea*, quæ intimiùs coagmentationem impediunt, &, ne ibi materia ſubſiſtat, efficiunt, ſive *temperatio-* *ra*, oleoſa, obtundentia & acorem tollentia, ex ſpermate ceti & aliis aperientibus, quæ conveniunt in obſtructionibus quibusvis, iſchuriâ, calculo, &c. ſive *magis activa*, ſanguinem quaſi fundentia, & ſerum præcipitantia ac liquantia in renes, ut inprimis ſunt terebinthinata, quæ urinam odore violaceo inficiunt, inſigni teſtimonio virtutis ipſorum huc evibratæ, item baccæ juniperi, aliaque calidiora, ℴ℘ ſuccini, &c.

3. *Reſolventia ſalina*, tùm *acida* incidentia & detergentia, ut acidum ♀ri, ſpiritus minerales acidi, inprimis ~us ⊖lis; tùm *ſaponaria*, & *terrea alcalia* & *lixiva abſorbentia*, quæ vel ob ſal ſuum, quod in receſſu gerunt, vel inſigni abſorbendi humores ſalinos vi pollent, lapides cancrorum, ſalia plantarum, Ra ♀ri &c. unde pertinent huc pleraque diuretica, aperientia generoſiora & lithontriptica. Patet hinc, cur & acida & lixivioſa commendentur in calculo, utraque ſcilicet reſolvunt, glutinoſitatem corrigunt, & coagulum peregrinum deſtruunt.

4. *Mixta*, quæ oleoſitate gaudent, & terreâ ſaxeâ ſubſtantiâ, ut grana cynosbati, alkekengi meſpilorum, dactylorum &c. pulvis è ſpermate ceti, lapidibus ♋, ⊖e volat. ſuccini, item alia *grumeſcentiam tollentia*, & *coagulationem reſolventia*, quæ & eo caſu conveniunt, ubi ſanguinis grumi circa veſicam reſtitant, quod periculoſum.

Reſpiciunt porrò II *acrimoniam ſalinam & membranoſi generis irritationem*, & ſunt temperantia, humectantia, refrigerantia, abſorbentia, ſive à ſale acri cauſtico lædatur parenchyma, & meatus membranei ac nervei, uti ab aſſumtis cantharidibus notum eſt, in ſolos quaſi renes & veſicam noxam omnem redundare: ſive à calculi coagmentati pondere & acutis ſpiculis. Talia ſunt &

1. quidem, quæ communia quaſi ſunt utriſque, *aquea temperata* & *demulcentia*, *non ſalina*, *dulcia* & *mucilaginoſa*, ut tragacantha, gummi Arab. ceraſorum, caſſiæ pulpa, paſſulæ, ſebeſten;

Digitized by Google

conſerva malvæ florum commendatur ab *Amato Luſitano cent. 6. obſerv. 58.* ſirupus de althæâ Fernelii, de ſymphyto, &c.

2. Ex parte etiam *oleoſa aquoſa*, ut lac dulce, ſemina frigida papaver, elect. diaſperm. *Fernel* emulſiones, quæ uti ſolantur à cantharidibus orta ſymptomata: ita & inprimis demulcent & leniunt nimiâ quaſi tenſione laceras vias, & pollutionem nocturnam per accidens tollunt, ſtranguriam ſedant, ab acrimoniâ ſeroſâ ortam.

3. *Præcipitantia*, ſive *ſtyptica* ſimul ſint ut in mictu cruento, diabete, & aliis laxitatibus, uti medicamenta è plantagine item pulvis noſter ſtypticus; ſive *nervina*, ut cinnabarina ſpecif cephal. & pulveres alii ſpecifici temperatiores. Sic & martialia ipſa huc pertinent, de quibus inſignis exſtat locus apud *Hollerium 6. aphor. comm. 6* ubi cum *Hippocrates* renum & veſicæ dolores vel morbos in genere difficulter ſanari dixiſſet commendat in ulcere renum ſuis experimentis ſuccum chalybis, id eſt, vinum martiale ex limaturâ vino dulci & potenti immaceratâ factum.

4. *Acrimoniam bilioſam*, ſi ſe offerat, corrigunt *acida*, ut hepaticum rubrum; unde juxta elegantem *Hippocratis* textum *l. de loc. in hom. Acida & faciunt ſtranguriam, & eandem ſedant.*

Et hæc, uti jam innuimus, conveniunt ad mictus cruentos, diabeten, pollutionem nocturnam, ardorem urinæ, imò in ipſo calculo. Maximè etiam ad dolores, qui quaſi ſunt indicationum tyranni, ſimul eſt reſpiciendum, unde &

5. Huc ſpectant ipſa quoque *opiata*, quæ in calculo habent inſignem uſum cum reſolventibus mixta, non quidem, quòd ipſa reſolvant primariò, non, quòd vias expediant; ſed, quòd quietem naturæ concilient, adeoque Archéum irritatum ſolentur & roborent. Nec obſtat, quoſdã objicere, hoc modo obtundi naturam ne expulſioni vacet, de quo vid. *Opiolog. l. 2. ſ. 2. c. 6.*

Reſpiciunt III. *vias expeditas & liberas*, non tàm pellendo, quàm laxando ut abituro ingrato hoſpiti paretur via & venia, qualia ſunt internè & externè *emollientia* & *paregorica*, *lubricantia*, *humectantia*; inprimis *oleoſa*, ut ol. amygd. dulc. quod ideò in calculo ſolemus frequentius exhibere, præcipuè, ſi vomitus minùs moleſtus id permittit: item chamæmelum, cujus decoctum tripli-

triplicatum ſimul reſolvit, unde flores in juſculo præſentaneè juvant cardialgiam, colicam, calculum: item *juſcula pinguia*, & ſimilia jam adducta, tantò præſentiùs enim proſunt, quò magis unà reſolvunt. Sic quidam pro arcano cum oleo amygd. dulc. propinant ſuccum limonum. Unde pertinet huc locus elegans *Walæi, meth. med. pag. 4.* In doloribus nephriticis, *ait*, ſive purges, ſive venam ſeces, nihil agis; ſin verò exhibeatur terebinthina cum mannâ, & oleo amygd. dulc. res facta erit. Ob hanc ipſam quoque cauſam avellanarum uſus commendatur calculoſis à *Cratone in conſiliis*.

Sic & externè id valet, v. gr. ſi veſica ſit obſtructa, ſi adſit iſchuria, conveniunt ſacculi emollientes & reſolventes è chærefolio, parietariâ, ſemine lini, non omiſſis oleis ☿latis, quæ penetrandi vi gaudent, item præ aliis cepâ vel allio, quæ archeum veſicæ frigidioris torpidum inſigniter confortant. Sic & oleum ſcorp. ſimpl. & Matthioli maximopere laudatur.

Hinc & unguenta, cataplaſmata, clyſteres, & balnea emollientia maximè proſunt nephriticis. Unde vel hoc ſolo nomine ſæpiùs ſolemus ipſis præſcribere *clyſteres* in paroxyſmo, & *balnea* ex emollientibus & nephriticis parata, ut iis inſideant, unde ſæpe in balneo calculum excernunt.

Usus et Modus Applicandi hæc ipſa probè notandus eſt, quod ſequentibus poriſmatibus obſervabimus:

1. *Renum & veſicæ officium eſt mutuum*, ſunt cauſæ ſociæ ergò ſtant pro unâ. Ut ergo eadem ſunt inteſtinalia medicamenta, quæ ſtomachica, ita & eadem renum & veſicæ; unde nodum in ſcirpo quærunt, & entia præter neceſſitatem multiplicant, qui ſeorſim κυστικὰ & νεφριτικὰ tractant. Valent enim in utriſque eædem cauſæ, ergò etiã eadem remedia. Notandum ergo, quod, dum renes alteramus, & iis applicamus remedia, ſemper ſimul reſpicienda ſit veſica, & vice verſâ: item ne, dum alteri prodeſſe volumus, alteri noceamus, quod præcipuè in alterantibus activis magis valet. Poſſunt enim & ſeorſim affici, v. gr. veſica ſcabie, renes ulceribus, &c.

2. *Nephritica non ſunt confundenda*, non pellendum, ubi reſolvendum, vel mitigandum; neque mitigandum, ubi reſol-

Digitized by Google

vendum. Errant in hoc ſæpiſſimè tùm empirici, tùm ipſi ægri, quatenùs fortioribus pellentibus quaſi ſimul & ſemel conantur exturbare hoſtem, quo præpoſtero conſilio, quando v. gr. ſolum balſ. ♀ris, ℴℴ terebinth. junip. & alia ſimilia exhibent, non rarò vel mictum cruentum, vel iſchuriam reportant. Præcipuè verò pellentibus nullus omninò locus eſt, quando in iis locis hæret, è quibus ſine noxâ expelli non poteſt, uti, ſi in ureteribus pedem figit: unde præſtat reſolventibus uti, imò & mitigantibus ſimul; unde natura ipſa roborata expulſionem rei moleſtæ aggreditur & expedit.

3. *Acrimoniâ ſalinâ urgente fruſtrà quaſi ſunt omnia reſolventia.* Hinc acida, acria, omnia vitanda, vinum ipſum. Sic & urinam pellentia non conveniunt renibus calculo dolentibus, ulceratis, mictu cruento, diabete. Eo enim caſu ſaltim mitigantia, temperantia, ac roborantia præſtant, non omiſſis tamen in ulceribus lenibus abſtergentibus & terebinthinatis temperatioribus, v. gr. ad ſiccitatem coctis. Imò

4. *Renes gaudent humido, ſed non exceſſivo.* Hinc & calidiora vitanda ſunt omnia, quæ facilè abſumtis partibus ſeroſioribus, & relictis craſſioribus limoſam compagem magis compingunt, ut calculus faciliùs generetur. Hinc & nimio potu, ſeu nimis humidis copioſè non onerandi ſunt, deficiente enim eorum munere facilè hydrops conſurgit.

5. *Quæ renibus debentur topica, lumbis applicantur: quæ veſicæ, pubi & umbilico: quæ ureteribus, lateribus hypogaſtrii: quæ partibus genitalibus, tùm reliquis his locis, tùm magis perinæo; quæ utero, lumbis quoque.* Inprimis in urina ſtimulandâ obſervavimus commodè olea ♃lata umbilico applicata, ob conſenſum per vaſa umbilicalia.

6. *Magis* verò *uſitata ſunt topica calefacientia, quàm refrigerantia,* quæ v. gr. in diabete è plantag. & aliis locum habent. Inprimis enim notandum paradoxon: unguentis refrigerantibus, quæ v. gr. ad pollutionem nocturnam ex unguento refrigerante Galeni, roſato Meſue, ol hyoſc. &c. adhibentur, nunquam fidendum eſſe: olea enim calida ſunt ſuâ naturâ, & laxant magis, quàm adſtringunt.

LIB. II.

Digitized by Google

Lib. I. Sect. III. Caput X.

De uterinis.

AUdiunt aliàs Hysterica, & magnam quidem cum aliis, ut omnia hæc, habent convenientiam; attamen ſeorſim quoque non minus attendi merentur, & tantò quidem magis, quòd ipſe uterus quaſi ζῶον ἐν ζώῳ eſt, & multas in corpore turbas & ſymptomata excitat.

Respiciunt verò hæc ipſa

I. Vel *vaſa* & *vias*, quæ exituro ſanguini debent patere, adeoque huc pertinent è ſupradictis *aperientia* & obſtructiones ceu remoras tollentia, *incidentia* & *expurgantia*, tùm *interna*, ſalina & ſulphurea, quæ huc repetere ſuperſedemus: tùm *externa*, *balnea*, *clyſteres*, tùm *communes*, quæ hinc in partu difficili proſunt egregiè: tùm *uterini*, ſuffitus, inſeſſus, peſſi, inunctiones, aliaque abſtergentia; licet, ut fateamur, quod res eſt, unâ quaſi fideliâ hæ obſtructiones tolli poſſint, ſi ſanguinis & humorum aliorum turgeſcentia & naturalis diſpoſitio reſtituantur, de quibus jam.

Vel enim II. reſpiciunt *contenta vaſorum*, ſeu *ſanguinem*. Sanguinis motus litoralis quaſi hîc eſt extimus, quo alluitur ad uterum, & lunaris, ſingulis enim menſibus eo fœminæ bene habentes exſolvuntur. Litoralem itaque hunc ſanguinis ad uterum motum reſpiciunt uterina,

Tùm 1. *promoventia*, quæ fermentationem, turgeſcentiam, & motum procurant,

Sive *rarefaciendo* & *attenuando*, quæ ſpeciali nomine audiunt emmenagoga ſive menſes moventia, ut ſunt *volatilia oleoſa*, *ſulphure volatili pollentia*, v. gr. ſabina, crocus, angelica, myrrha, camphora, &c. *ſalina*, ſal artemiſiæ, borax, & inprimis *volatilia*, cochlearia, ~ ⊖lis ✳ci, aliaque acria, *amara*, ut inprimis aloe, quæ hinc ad pallidos colores eſt eximia, item elixir proprietatis; *aromatica*, quæ ſimul glutinoſitatem humorum expediunt, ab infarctu oſcula ſive extremitates vaſorum, ubi ſæpe contin-

gunt obſtructiones, liberant, humoresque pituitoſos, tartareos, mucilaginoſos eadem obviſcantes expediunt; poroſque dilatant, & uno verbo vias liberas præſtant, & patulas, naturamque ad excretionem blandè ſolicitant. Ubi obiter notandum: *Quæcunque menſes promovent, illa etiam fœtus exitum accelerant*, v. gr. ſalia, borax, & exinde parata, quæ etiam in molâ, ſi quidem certa ſit mola, conducunt; attamen non ſola ſtimulantia rem abſolvunt; ſed etiam confortantia balſamica, ut oleum ſuccini, cinnabarina, cinnamomum, vinum malvaticum. Pertinent etiam huc varia ex his dictis parata, & conſtantia, infuſa præſertim, decocta, mixturæ, elixiria, &c.

Imò ſpectant huc ipſa *purgantia*, quæ ſæpe eodem die, quo aſſumuntur, menſium fluxum accerſunt, & ipſa enim tùm ſtimulant, & pellunt, tùm ſanguini novam fermentationem addunt: *diaphoretica*, præſertim volatilia. Hinc ſæpe vidimus à ℞â bezoard. Mich. etiam extra ordinarium tempus menſes accerſitos, in ſucculentis præſertim magis.

Sive *abſorbendo*, humores acidos, auſteros, ſtypticos abundantes, eundemque ſanguinem nimis figentes & concentrantes tollendo, uti ſunt *fixa*, non quidem æque omnia, neque enim lapides cancrorum, vel creta, conchæ, coralia, inter emmenagoga recenſentur, vel locum habent; ſed *edulcantia* eosdem intimiùs & ſaturantia, qualia præ aliis omnibus ſunt martialia. Unde qui feliciter mederi vult menſium obſtructionibus, omnium optimè id præſtare poteſt martialibus, croco ♂tis aperitivo ⊕lato, ſaccharino, pulvere cachectico Querc. vel ſtomachali ejusdem cum martialibus mixto, addito v. gr. oleo cinnamomi, qui ſanè intentioni huic laudatiſſimè inſervit.

Conveniunt itaque hæc, uti ex jam dictis facilè patet, in menſium obſtructionibus, & inde oriundis mille ſymptomatibus, in quibus omnibus principaliter ſemper ad menſes reſpectus habendus eſt, ſi feliciter progredi velimus.

Tum 2. *refrenantia & retardantia*, ſeu ſeroſior nimis ſit, & acris, bilioſus, ſanguis, oſcula vaſorum reſerans & erodens; ſeu copioſè irruat, ob rupturam, aliasque læſiones. *Excedentem* verò hanc *fermentationem* & turgeſcentiam inhibent tùm *refrigerantia*

rentia aquea, quæ partes ſanguinis volatiles ſalinas ſulphureas abundantes temperant, ac diluunt; tùm *terrea* & *ſtyptica*, quæ eaſdem præcipitant, diſgregant, & in motu retardant ac ligant, plantago, burſa paſtoris coralia, hæmatites, & alia ex adſtringentibus huc repetenda: tùm *acida* & *auſtera*, eaſdem infringentia & domantia, ut ~us ⊕li, ℞a ⊕li, vio[illegible]um, roſarum, ℞a ſtyptica, antiphthiſica *Gramanni*, quæ in menſibus immodicis officium facit, ipſaque *opiata*.

Et hæc conveniunt in menſibus immodicis, lochiorum nimio fluxu, quin & ex parte fluori albo nimio.

Vel III. reſpiciunt *nervoſam genus* & *ipſam uteri ſubſtantiam*, ceu notum eſt, eam eſſe membranoſam, cum capite maximum habere conſenſum, & nervis maximè irrigari; talia ſunt *nervina* omnia ſuprà ſub cephalicis enumerata, ſulphure balſamico volatili pollentia. *ſpirituoſa*, ſuavia, ut meliſſa, roſmarinus, ſalvia, &c. caſtorium, ſuccinum, utraq; ſale volatili oleoſo fœta &c. & præ omnibus aliis *cinnabarina*, uti certum eſt experientiâ practicâ, cinnabarin nativam Hungaricam maximè ſolari affectus hyſtericos & motus uteri convulſivos, item ſecundina humana præparata, ebur ſine igne, & ex C. C. parata, aliaque. Ex quo patet, canonem medico-practicum, omnia cephalica eſſe quoque uterina, ſive in ſpecie: *omnes herbas cephalicas etiam uterum reſpicere* & vice verſa, hoc ſenſu potiſſimum valere; ob ſocietatem ſubſtantiæ, & convenientiam ac analogiam partium nervoſarum.

Et hæc, inprimis *aromatica confortantia*, ſunt uterina & proſunt ſpecificè in ſuffocatione hyſtericâ, ejuſque variis gradibus, & conſequenter lipothymiâ & ſyncope, &c. Suffocationem verò hanc eo ſenſu falſo hypochondriacam hodiè appellitant, ſi uterum excludunt pro ſub ecto; eo vero ſenſu verè, ſi eundem ut contentam ſimul ſub hypochondriis partem reſpiciunt, & quatenus pleræque hyſtericæ ſunt etiam hypochondriacæ. Probantur eadem in partu difficili, quatenùs vel roborant naturam & nervos, ut cinnabarina, quæ ob hanc cauſam & in calculo prodeſſe diximus; vel ſimul ſtimulant, ut ℴℴ cinnamomi ſuccini, &c. item in hyſteralgiâ & fluore albo, quatenùs in eo laxior ſanguinis compages & ichor ſeroſus partibus oleoſis ſanguinis

ſanguinis præponderans ob laxitatem & debilitatem fibrarum conjunctam excernitur, unde confortantia talia uterina, & oleoſa balſamica, v. gr. rosmarinus, proſunt. Patere hinc poteſt, cur ab *Hippocmte* & hinc ſequentibus eundem practicis omnibus *acetum* dicatur ὑστεραλγὲς· quia nempe nervis eſt inimicum, quia figit ſanguinem ejusꝗ ſulphur & partes volatiles ſalinas deprimit & ſubjugat; aliàs enim, ubi incidendi eſt intentio, vel ſulphur domandi, ut in amore inſano, menſibus immodicis, optimè conveniunt, modò parcè adhibeantur.

Vel IV. reſpiciunt *humores extravaſatos* circa uterum reſtagnantes, & inde oriundos flatus, miaſmata putrida, &c. quod quidem ſæpe contingit, & varia ſymptomata, & atrocia quidem illa ſæpe excitat, qualia ſunt

Tùm *balſamica*, putredini reſiſtentia, *amara* & *gummoſa*, ac *reſinoſa*, aloe, myrrha, ſcordium, aſa fœtida, gummi galbanum, eſſentia ſuccini, myrrhæ, aſæ fœtidæ, elix. uterin. Crollii, &c.

Tùm *reſolventia* grumoſitatem ſanguinis extravaſati, tùm in fieri, tùm in facto, uti v. gr. chærefolium, lapides ♋, bezoard. ♃ale, ♂iata, & alia ſimilia, quidquid reſtitat, egregiè diſſipant, & ſymptomata convulſiva & hyſterica inde producta tollunt.

Tùm *diſcutientia*, *diaphoretica & ſudoriſera* penetrantiora, ut ℞a bezoardica, ⌒us ♀ri, miſtura ſimplex; quæ ipſa quoque putrida miaſmata arcent, uti ipſa quoque *diuretica* uterum egregiè mundificant.

Tùm inprimis *carminativa*, unde *carminativa optima ſunt uterina*, &, experimento practicorum, quæ colicæ debentur, eadem & ſuffocationi hyſtericæ opem ferunt, ut zedoaria, ſemina carminativa, galanga, eſſentia carminativa cum elixir. uterino, ℞a ♀ri, bezoard. ♃ale, quæ in hyſteralgiâ & doloribus poſt partum inſignia ſunt & nobiliſſima.

Et hæc proſunt in flatibus uterinis, quos inſtar flatuum ventris in cacochymicâ per uterum excretos obſervavimus, & inde, ac ab ibi reſtagnante ſanguine putrido productis ſuffocationibus hyſtericis, menſibus & lochiis dolorificis, cum anxietatibus, dorſi doloribus, torminibusque &c.

Quoad APPLICANDI HORUM USUM licet plura dici poſſent, pauca tamen libabimus.

1. Canon

1. Canon eſt practicorum, inprimis *Heurnio* laudatus: *Dulcibus uterus demulcetur.* Is verò non tàm intelligendus de dulcibus actu talibus abſolutè, quæ quidem, ubi fermentatio ſanguinis inſtauranda eſt, inſignem habent uſum, quatenùs turgeſcentiam ejusdem promovent, item in abortus periculo externê mel, panis mellitus cum vino Hiſpanico; attamen, *ubi ſanguis refrenandus eſt*, ut in nimio menſium fluxu, & in reliquis caſibus potiùs nocent. Sic dulcia ſaccharata & mellita lædunt hyſtericas, turbas enim excitant, & ſymptomata conſopita revocant & exaſperant; adeoque ex his rectus dulcium applicandi modus patet.

2. *Acida*, quod ceu poriſma ex dictis conſequitur, *& dulcia nec ſemper vitanda, nec promiſcuè danda*, inprimis id valet de aceto, illud enim ſulphureis particulis minùs eſt inſtructum; quæ verò acida ſunt ſulphurea ſimul, ut ~us ⊖is, ⌽i vel ⊕li cephalicus, utero magis ſunt amica, unde ſirupus byzantinus, oxymel ſimplex & ſquilliticum, & reliqua acida, uterum lædunt; hæc vero ſulphurea moderatè, ubi licet, adhiberi queunt. Patet id etiam ex diætâ, ſi fœmina menſes patiens acetaria vel alia acida comedit, illi ſiſtuntur. Sunt ſcilicet tono uteri tùm quoad turgeſcentiam ſanguinis, tùm quoad ſubſtantiam nervoſam adverſa.

3. *In gravidis volatilia pellentia cavenda:* unde, ſi dubius occurrat caſus, ſuppreſſine ſint menſes, vel fœmina gravida, vix ultra martialia ſolemus adſcendere, quod nobis ſæpe obtigit in praxi, offerentibus urinam meretriculis, & conceptum ſuppreſſione menſium ſimulantibus, poſtulatâ purgatione, vomitorio, ibi non facilè credendum, etiamſi Jovem jurent lapidem; martialia verò non nocent, ſed ſimul roborant. Aliàs ipſis attemperantia & adſtringentia, quoad vaſa uterina, & ſpirituoſa, quoad vitale fœtus robur, ut balſamum embr. conveniunt.

4. *Ubi aperiendum eſt, non ſola pellentia fortia conveniunt, ſed humectantia unà non omittantur; ubi adſtringendum, non omittantur ſiccantia.* Hinc peccant medici, qui in menſium defectu ſolis oleoſis volatilibus utuntur, oleo juniperi, ~u ⊖lis ✱çi, oleo ſabinæ, borace, & aliis. Hinc etiam ſæpe meretriculæ, præſer-

tim, ubi diſpoſitio ad abortum non adeſt, ſabinâ & ſimilibus fruſtrà utuntur. Reſpiciendum nempe unà eſt ad ſerum, quod æquè ac ſanguis ad turgeſcentiam potiſſimùm requiritur; hinc plùs ſemper præſtitimus humectantibus, ut Râ ♂tis 🜿iſatâ, Râ ♂is pomatâ, infuſis & decoctis uterinis, quàm aliis.

5. *Non adſtringendum in non gravidis citra revulſionem & evacuationem: in gravidis autem citra fœtus reſpectum*, v. gr. ſiqua menſibus immodicis, quod ſæpe ex obſtructione vaſorum fit, & ſeorſim excuti meretur, laboret, Venæ Sectione præmiſſâ meliùs conducunt adſtringentia; ſin gravida menſium fluxu corripiatur, ſemper fœtus debilitas eſt reſpicienda.

6. *In adſtringentibus quoque ſemper tonus uteri eſt reſpiciendus*, tùm quoad ſanguinem, tum quoad laxitatem fibrarum. Hinc in fluore albo non tàm ſola adſtringentia vulgaria proſunt, quàm aromatica cum his mixta, ex roremarino, cheiri, ebore, caſtorio, magiſt. oc. ♋ cum oleo aniſi, ſuccini, quod optimum, aliàs enim feliciter res non ſuccedit.

7. *Clyſteres uterini egregiè quidem elutriant & abſtergunt; virginibus verò & gravidis non conveniunt*, velut & peſſi & ſimilia topica, de quibus ſuo loco pluribus. Totum potiùs reſpiciendum in his, neque enim extravaſatio facilè locum habet; ſin verò quid faciendum in his topicis, communicandum id priùs bene eſt cum adſtantibus quibusdam.

LIB. I. SECT. III. CAPUT XI.

De arthriticis.

AUdiunt hoc loco ARTHRITICA generaliori vocis acceptione non ſolum principaliter, quæ articulis conveniunt, ut dolore laborantibus, ſeu arthriticis; verùm etiam ſuo modo & ſecundariò aliis eorundem affectibus. Cùm verò quaſi fraterno ſodalitio ex eodem velut ovo proſiliant, & miro luſu ſeſe invicem transforment & excipiant calculus, arthritis & affectus hypochondriacus, ſive, qui arthritici, iidem & nephritici & hypochondriaci, & vice versâ facilè ſint vel fieri queant, facile etiam fuerit, arthriticorum naturam pervidere: ita enim & nephritica ſunt arthritica, & hypochondriaca ſunt arthritica; hypochondria ſuggerunt, & ſumtus quaſi ſub-

Digitized by Google

ſubminiſtrant, renes coagulant, articuli recipiunt. Nihilominus tamen & hæc paullò intimiùs ſpectabimus.

Patet enim itidem agendi horum modus, ſi, quot ſub ſe classes comprehendant, diſpexerimus.

Respiciunt ſcilicet arthritica vel *ſerum*, cujus vitium ſanè maximum in arthritide, & huic affinibus affectibus ſpectandum eſt: hinc eſt, quod nonnulli à capite dolorum podagricorum originem arceſſant, & remedia ſimilia, catarrhoſis ſcilicet defluxionibus aliis convenientia, & his proficua ſint. Talia ſunt tùm

1. *Univerſalia*, *evacuantia* & *divertentia* per alvum, urinam, & habitum corporis, purgantia puta, diuretica & diaphoretica, quæ ipſa in genere maximè articulos juvant, nec ſine his feliciter iisdem mederi licet, inprimis diaphoretica nobiliſſimos arthriticis afferunt uſus, & unicè quaſi opem ferunt.

2. Tùm 2. *particularia alterantia*, ut quoad *quantitatem*, leniter *abſumentia*, & *exſiccantia*, & ita defluxiones divertentia, uti hoc nomine radix chinæ, ſaſſafras, & ligna alia commendantur, item quoad *qualitatem*, ejusdem ſalſedinem, acorem, acrimoniam ſeu *temperantia & diluentia*, aquea, & ſubſtantificè humectantia, de quibus inſignis exſtat locus apud *Langium miſcell. cur. tit. 10. pag. 22.* ubi regulam quaſi reddit: *Humectans refrigerium podagricorum eſto deſiderium*; ſeu *invertentia* & *abſorbentia*, ac *præcipitantia* varia, quæ & ſuis locis adducta ſunt ſub hypochondriacis, & jam tangemus quoque. Hinc omnia illa huc mutuari quoque licet. Conveniunt nempe arthriticis omnia *aperientia*, *viſcerum depurationem*, εὐχυλωσιν & *tonum reſpicientia*, inprimis *martialia*, & ipſa quoque apprimè *antiſcorbutica*: hæc quippe cauſam antecedentem & foventem, ſalia acria tollunt, & proventum ſeri balſamici, ſuavis ac dulcis procurant. Hoc niſi obſervetur, fruſtrà omnis arthriticorum eſt curatio, & in hoc præſervatio & curatio eorundem verſatur.

Conveniunt verò hæc ipſa in arthritide, dolore iſchiadico, podagrâ, chiragrâ, defluxionibus catarrhalibus, & ſimilibus.

Tùm denique 3. *reſolventia*, fluxilitatemque ſero fœnerantia, uti præ aliis ſunt *cinnabarina*, quæ coagulationem maximè prohibent, & tùm aliàs, tùm præcipuè hoc caſu fluxile reddunt

ſerum. Conveniunt verò hæc, ut & externè *mercurialia*, appri-mè in doloribus articulorum, & aliis à lue venereâ oriundis, ubi emplaſtrum de ranis Vigonis cum ☿rio prodeſt.

Vel *nervos*, quò *membranas*, *ligamenta*, *& fibras* referimus, quæ ſcilicet ab affluxu humorum infenſorum patiuntur, debilitantur, irritantur, & talia ſunt eadem, quæ jamdum ſub cephalicis latius recenſuimus, adeoque *omnia cephalica ſunt etiam arthritica*, ob communionem generis, & inde ductam originem.

Inprimis verò arthriticorum titulum, quæ articulis & juncturis quaſi propriè debentur, ſubeunt

1. *Quæ ſulphure balſamico, oleoſo, ſuavi, & roſcido pollent*: uti hoc nomine celebria ſunt chamædrys & chamæpitys, quæ & iva arthritica nuncupatur: roſmarinus item, ſalvia, & gumata inde huc quoq; pertinet galbanetum Paracelſi, & aliorum: caſtorium imò ipſum & euphorbiũ. Nec obſtat, hæc non æquè omnia promiſcuè ob caliditatem arthriticis convenire: nam ob affluxũ humorũ, & calorem inde ortum illis quidem, in paroxyſmo præſertim, ferè primo loco nominata chamædrys & chamæpitys ſolùm ex uſu ſunt; ſed cùm ligamenta & nervi ſint frigida, hinc in aliis caſibus articuli etiam omninò talia quandoque expoſcunt. Conveniunt enim talia, præter arthritidem etiam paralyſi, ut ſuprà jam innuimus, atrophiæ, vulneribus articulorum & nervorum, & inprimis ichori ulcerum ſeroſo, dem Gliedwaſſer / quem non tàm adſtringentibus debere vel poſſe curari, quàm partem roborantibus, ut nutrimentum parti debitum in actum deducatur, experientia practica teſtatur. Contracturæ quoque & debilitas partium à vulneribus, fracturis &c. his nervinis auſcultant. Imò ulcera ipſa ſæpe priùs non ſanantur, quàm tonus partis affectæ talismodi nervinis reſtituatur.

2. *Quæ ſulphure fixo, naturæ amico, pollent*, quæcunque enim ſymptomata in genere à ſalinis ſpiculis, acribus, ſalſis, acidis, exſurgunt, in ſulphureâ viſcoſitate, demulcendique amicâ naturæ vi ſolatium inveniunt. Subeunt hunc cenſum inprimis cinnabarina, quæ & partium nervoſarum dolores omnes unicè ſolantur & reſpiciunt, & inprimis quoque articulorum cruciatus, præcipuè ſi maritentur cum opiatis. Hæc itaque & priori titu-

titulo, quatenùs ſerum reſpiciunt, & hoc ipſo, quo jam dicimus, arthriticis conveniunt.

3. Cùm verò & *ſalia volatilia ſulphure polleant oleoſo*, ipſa quoque interiùs eo nomine adhiberi commodè poſſunt, & exteriùs, tum hæc; tùm ſpirituoſa volatilia officium faciunt. Hinc ſpiritus C.C. ⊖lis ✱ci item debito modo adhibitus juncturas ſolatur. Sic aqua magnanimitatis ſeu *ſpiritus formicarum* eo caſu conſultò adhibetur exterius. Præcipuè verò huc pertinent lumbrici, qui in ſubſtantiâ gaudent mucilagine ſuavi, partibus volatilibus ſalinis intertextis: hinc in ſubſtantiâ partes nervoſas demulcent, contriti adhibiti, in potionibus, & exteriùs appoſiti ſemper ferè fecere officium: præcipuè hinc laudantur in arthritide vagâ ſcorbuticâ.

Conveniunt verò hæc in doloribus & anxietatibus, & præcipuè arthritide, podagrâ, &c. & inde oriundis pavoribus.

Vel denique reſpiciunt *dolorem* ipſum urgentem, à tenſione & vellicatione membranarum oriundum, tum *internè*, ubi laudatæ jam emulſiones, item cinnabarina & anodyna officium faciunt, ſi præſertim fonti ipſi unà, nempe viſceribus depuratoriis & ſeri acrimoniæ aliis fuerit proſpectum; tùm *externè*, inter quæ miſſis reliquis omnibus ſola nominamus 1. *paregorica*: ſic topica ex lacte dulci, ſimilagine, croco, &c. laudantur, & fotus ſimiles alii. 2. *Nervina* ſpirituoſa, ſulphurea & urinoſa. Nervina enim reliquis omnibus unicè præſtant inter topica arthriticorum, unde non ſolùm in quibuſdam caſibus recenſita nervina vegetabilia locum habent; verùm etiam inprimis è lumbricis & formicis parata, uti ſunt laudati ſpiritus, lumbric. volat. ▽. magnan. ~ C.C. ⊖lis ✱ci, °o° ſaponis &c.

Quoad Applicandi Modum, inter interna quidem primum generis loco notamus:

1. *Tonus articulorum conſervandus eſt*: hinc calida & ſicca nimis medicamenta, ſerum nimis exhaurientia, uti in nephriticis & calculoſis, ita etiam in arthriticis vitanda ſunt. Seri nempe proportio eſt obſervanda, non exhauriendæ partes tenuiores relictis craſſioribus: non ſeroſæ, quæ vehiculum quidem ſunt, aſt unà frenum bilis, relictis ſalinis acribus. Hinc maximè peccant, qui ſolo ſudore ab externis impellentibus prolecto, v. gr.

Digitized by Google

balnei &c. calore, omiſſis internis impellentibus ſpecificis, audent curare arthriticos.

2. *Non articulis ſolùm medendum eſt, non conſiderato toto; neque ſolis viſceribus, neglectis articulis.* Cùm enim recipiant & luant totius vitia, hinc fruſtrà, quæ vulgi eſt opinio, curatio fit, niſi tollatur ſalina acrimonia, niſi fons, ut ſic loquar, obſtruatur, unde fruſtrà ſunt omnia ſæpe topica, neque ulla conſtans ſolatium afferunt. Videndum tamen unà eſt, ut nec ipſi negligantur articuli, ſive frigore externo, vel Venere, vino & aliis lædantur magis.

3. Quoad externum uſum notamus in genere axioma practicum: *Localia ſæpe exaſperant dolores & morbum*, quatenùs non tàm demulcent materiam impactam, non tàm archeum ſolantur afflictum, quàm accumulant majorem mali cruciatum, ut, licet videantur quandoque miteſcere ſymptomata, atrociores tamen hinc accendantur dolorum faces, vel alia inde emergant. Imò hinc, quæ unâ vice proſunt alterâ nocent, adeoque quædam loco defenſivi & roborantis adhiberi poſſunt, quædam conſultiùs omitti.

4. Hinc *locum non habent in articulorum doloribus repellentia, ſive actu frigida*, ſola aquea, *ſive potentiâ*, debilitant enim magis partem, & nervis ac articulis ſunt inimica, quod de ipſis acidis quoque intelligendum eſt. Unde, quod *Plinius* refert, *l. 23. c.* 1. M. Agrippam demerſis in acetum calidum cruribus in acerrimo morbi impetu, à dolore pedum, quem perpeti non poſſet, evaſiſſe, non facile imitandum eſt.

5. *Unctuoſa & pinguia emplaſtica locum quidem habent in quibusdam recenſitis articulorum affectibus*, v. gr. ichore ulcerum ſeroſo, dolore à lue venereâ, &c. *minùs verò in arthriticis.* Hinc frequenti experientiâ edocti ſumus, unguenta, emplaſtra & ſimilia plus damni dediſſe podagricis; imò plures ex arthritide vagâ hoc modo fixam ſibi accerſiverunt, plurimi tophos. Hinc & ipſe *Galenus lib. 4. meth. med. cap. 3.* tophos in articulari morbo produci rectè *ſcribit*, ex humore glutinoſo & craſſo, quando is non paullatim eſt digeſtus; ſed violentis remediis totus ſimul ſiccatus. Et *Fernelius conſil. 12.* geminari inde dolores obſervat.

LIBRI SECUNDI

SECTIO PRIMA.

CAPUT PRIMUM,

De

Præparantibus & digerentibus.

HUmores evacuandos reſpiciunt PRÆPARANTIA, ita dicta, quòd eoſdem ad excretionem aptent & diſponant. Vocantur etiam *digerentia*, quaſi ad frugem eoſdem peccantes reducentia, coquentia quaſi & maturantia.

Digerentia itaque ſunt duplicia in uſu medico: 1. *interna*, quæ jam recenſuimus, quæ non aliter ac digeſtio chimica ita diſponit & corrigit, ut calori hinc ſubſequa reddantur omnia. 2. *externa*, de quibus ſuprà diximus, quæ in ulceribus & vulneribus ad coalitionem aptos reddunt humores,& conveniunt ferè cum ſuppurantibus,niſi quòd poſtquam jam ſunt aperta eadem, magis locum habent.

Ut verò meliùs hæc ipſa pateant, præter ea, quæ jam alibi de iiſdem diſſeruimus, notetur;

1. *Non omnes humores æquè facilè purgantur*,quatenùs vel non omnes fluxiles ſunt, ſive craſſi, viſcidi, vel nimis fluxiles ſeu tenues, vel acres ſimul, acidique, &c. adeoque licèt ſtimulum addant naturæ purgantia,non obſecundant tamen æquè humores, nec ipſa natura illos ſubigere per ſe poteſt: ſeu

2. *Non promiſcuè proſunt purgantia, vel exhibenda ſunt.* Empiricorum id eſt, qui promiſcuè exhibent purgantia citra cognitionem vel attentionem humoris peccantis, ejuſdemque qualitatis: vulgi id eſt & plebejorum, qui, quando appetitus deeſt, quando febri laborant, continuò purgans petunt, quo ſæpe ſi non moventur, aliud ſuperingerunt. Ut itaque purgentur o͞ia

Digitized by Google

δεῖ καθαίρεσθαι, qua oportet purgari, medici præſtant præparantibus dictis.

3. *Præparantia ſunt alterantia.* Uti enim omnium medicamentorum in univerſum duæ ſunt claſſes, alterantium & purgantium: ita etiam præparantia nullo modo differunt ab alterantibus, niſi hâc ſpeciali intentione, quòd intuitu evacuationis præſtandæ, ut melior & ex voto fiat, purgationibus præmittantur, adeoque duo præſtant: 1. alterant, 2. ad excretionem ſeu evacuationem diſponunt.

4. *Evacuantia enim & alterantia ſe modificant.* Non fieri probè poteſt alteratio, ſi copia vitioſorum humorum obſtet, qui ſui evacuationem, naturâ præeunte, urgent: nec evacuatio præſtari poteſt commodè, ſi humorum qualitates impedimento ſint naturæ. Hinc videtur ipſa experientia ſuggeſſiſſe præparantia, ut v. gr. ponamus ſcabioſum vel melancholicum fruſtrà ſumere purgans; ſi ipſi per aliquot dies demus digeſtiva è Râ ♂pomatâ, & aliis aperitivis, res meliùs ſuccedit; & hæc ipſa ſanguinem purificantia ex voto non operantur, niſi humoribus purgatis.

5. *Modus agendi* igitur ut alterantium in genere, ita & *præparantium fit per contraria*; humorum qualitates, caloris nativi actioni reſiſtentes mutant, & in ordinem redigunt. Contrariorum enim contraria ſunt remedia. Obſtacula enim illa, quæ ineptum ad fluendum reddunt humorem, ſunt removenda, & qualitates exceſſivæ omnes domandæ.

6. *Alia præparantia ſunt univerſalia, alia particularia. Univerſalia* hoc loco vocamus non ſtricto & rigoroſo ſenſu, quòd omnibus omninò humoribus æquè conveniant; ſed, quæ ſunt polychreſta, & quæ ceu communia & frequentiùs occurrentia ſæpiùs in uſum vocari poſſunt. Talia verò ſunt *aperientia, antiſcorbutica, anticachectica, hepatica & ſplenetica.* Frequentiores enim cauſæ, quæ remorantur purgantium vim, ne operentur ex voto, ſunt obſtructio vaſorum, humorum ſiccitas, vel *μίασμα* ſcorbuticum. Adeoque nec ♀rus ⊕latus, nec cremor & cryſtalli ♀ri, vel ipſa miſtura ſimplex, alio nomine, quàm hoc univerſalia digeſtiva dici merentur vel debent, niſi quòd inſigni

Digitized by Google

inſigni gaudeant reſerandi facultate, & pluribus indicationibus ſatisfaciant. *Particularia* verò ſunt *alterantia* & *aperientia*, vel *incraſſantia tenuiter*, ex ſingulorum remediorum quoad partes digeſtorum fontibus depromta, modò ex cephalicis, quæ ex uſu ſunt in affectibus capitis; modò ex uterinis, & ſic conſequenter, tùm calida, tùm frigida, varii generis, liquida, media, & ſolida.

7. *Hæc ipſa verò vias vel ſimul diſponunt, vel iis expurgatis melius operantur.* Hinc communi praxi uſitatiſſimum eſt præmittere totâ die purgantibus vel lenientia vel præparantia, Weichtrăncklein/ Lindpillen/ ut viis & humoribus aptitudo & paraſceve quaſi quædam addatur.

8. *Reſpiciunt cacochymiam ſive humores vel in vaſis adhuc contentos, & maſſa ſanguinea confuſos, vel extravaſatos.* Utroque nomine faciunt officium. Uti enim certum eſt, in evacuatione per alvum per purgantia accidi quoque partes excrementitias, ſeroſas inprimis & bilioſas, hinc & reliquas, ita alterando tonum ſanguinis, aperiendoque εὔῤῥοα πάντα, *omnia* perſpirabilia & *fluxilia* præſtant. Imò frequentiùs ipſamet debentur humoribus cum maſsâ ſanguineâ adhuc confuſis, quando enim jam extravaſati ſunt, v. gr. bilis reſtagnans in primis viis, pituita collecta in inteſtinis, ut aptiora jam ſunt, ita & citra præparantia educi queunt.

9. *Conſtant magis humidis, aqueis, diluentibus.* Sed hæc ipſa inprimis præparant magis, quippe penetrant, ſubigunt, & ſiccitatem, quæ multum remoræ ſæpe addit, viarum unà tollunt. Hinc practici eo caſu potiones decocta, infuſa, miſturas, uſitatò præſcribunt, non ſine ſucceſſu. Reliqua verò, ſalina v. gr. & in minori doſi magnæ activitatis, hîc quoque egent vehiculo, uſuque gaudent ſuo. Duplici enim hâc formâ maximè dari ſolent, vid *Virdungus tract. 2. c. 11. p. 33.*

10. *Non ſolis ſirupis & aquis abſolvitur præparatio.* In hoc communiter ſolent paullò largiores eſſe, & ſirupis ceu baſi quaſi uti in præparantibus. Aſt uti locum ſuum habent, & fermentationem humoribus inducendi virtutem poſſident; ita niſi leviori planè caſu præſtat ubivis appropriata ſimul jungere.

Digitized by Google

II. *Præparantibus non ſemper opus eſt*, propriè enim competunt & debentur morbis materialibus, id eſt, humoroſis, ubi materia cruda eſt, & digerenda ſeu coquenda quaſi, *juxta 1. aph. 22. Cocta enim purgare oportet, non cruda.* Hinc affectibus pectoris & febribus præcipuè debentur intermittentibus. Verbo: *Præparantia magis locum habent in morbis chronicis*, quàm acutis. Hinc non conveniunt v. gr in febribus ardentibus & malignis, non in morbis immaterialibus ita vulgò dictis qui nempe ſola alterantia requirunt, non item evacuantia. Hinc præparantia locum non habent, nec dicuntur, niſi ubi evacuandum eſt; aſt locum quoque purgantia quandoque inveniunt citra præparantia.

MODUS AGENDI eſt alterare per contraria, & humores aptare ad exitum.

MODUS APPLICANDI ratione materiæ in liquidis, ratione temporis ante purgantia, ratione indicantis in morbis humoralibus.

Et hæc quaſi generalia axiomata ſunt: in ſpecie verò jam breviter quoque humores ipſos delibabimus.

I. *Bilis* tùm *excrementitia naturalis*, tùm *præternaturalis*, & *partes 🜍ea ∴oſa acres ſanguinis* excedentes, uno verbo *cacochymia bilioſa*, quatenùs *caliditate* peccat, *aqueis diluentibus*, *acidiuſculis*, & aliis temperatis digeritur: ſin *viſcoſior* ſit, etiam *incidentibus*, *amaris*, ut in ictero, &c. ſi tenuior, acidiuſculis & mucilaginoſis tereis.

Uſum hæc habent in febribus, v. gr. tertianariis præparantis loco commodè dantur M. S. ſerum lactis caprini, anima rhabarb. ℞a viol. roſ. ⊖lata, arcan. ♀ri, ♀ ⊖latus, ut jam pluribus alibi diximus. Sic & in ictero, hepatis intemperie calidâ, &c.

II. *Pituita* ut ſerum concretum eſt: ita *attenuantia, calefacientia, reſolventia*, ſeu *fluxilem reddentia*, cum *humectantibus* requirit. *Notandum* verò, ubi pituita peccat, nimis ſiccandum non eſſe, aliàs magis concreſcit. Hinc præter *aromatica* & *amaricantia acida*, ut ∽ ⊖li egregiè quidem conveniunt phlegmati, non tamen omiſſis calefacientibus & humectantibus.

Locum hæc & uſum habent in cachecticis, febribus quotidianis, catarrhis, paralyſi, ſterilitate, &c.

III. In *cacochymiâ melancholicâ* tùm *ſerum deficiens humectantibus*

Digitized by Google

tibus reſtituendam, tùm *blandus* ejusdem *vigor* abſorbendo humores acidos auſteros, *calefacientibus aromaticis* reſtaurandus. *Acida* verò uti bilioſis & pituitoſis conveniunt, ita *melancholicis nocent*, ſulphur enim magis obtundunt.

Atrabilarii verò humores, ſive partes ſulphureæ ſanguinis intenſiores cum ſalibus acidis evectæ & acrimoniâ excedentes, majori diluitione & temperatione egent, unde *nitroſa* & *abſtergentia aquea* inter alia ſunt laudatiſſima, cumque viſcera malum hoc maximè foveant depurantia ſanguinem, *aperientia* & *abſorbentia* inprimis inſigniter proſunt.

Locum hæc habent v. gr. in deliriis, melancholiâ hypochondriacâ, item, affectibus cutaneis, ſcabie, pſorâ, leprâ, &c.

IV. *Serum* ipſum ſolâ *quantitate peccans* præparatione non eget.

Lib. II. Sect. II. Caput II.

De lenientibus.

Cùm magis & minus non varient ſpeciem, ſub eâdem claſſe rectè tractantur Lenientia et Purgantia, ſicut etiam vomitoria lenia dantur.

Nominantur verò *lenientia* à *leniendo*, ſive *leni operatione*, & propriè *dicuntur* medicis *illa*, quæ naturam paullò ſegniorem muneris ſui monent, alvum ſaltim reſerant, ut reſtitantia ſcybala naturali modo evacuentur, unde etiam dicuntur ἐκκοπρωτικά ſive *ſtercoraria*, quæ non tàm humores vitioſos, quàm ſtercorum eliminationem promovent. *Benedicta* item, unde pilulæ benedictæ, electuarium benedictum laxativum, & alia, nomen ſortita ſunt, quòd naturæ ſint amica, imò ex parte alimentoſa, adeoque nullam noxam poſt ſe trahant, indemnia planè & innoxia.

Si de Modo Agendi et Operandi horum quæratur, dicimus, illum non variare à purgantibus, de quo jam dicemus. Lenia nempe irritant tùm per accidens, tùm per ſe. *Per accidens* id præſtant, quæ ſecum conſiſtentiam disjiciunt, compactio-

pactionem impediunt, & fluxiles eaſdem reddunt, unde faciliùs excernuntur: qualia ſunt

1. *Aquoſa, humida & potulenta*, unde à potu copioſiore alvum totâ die laxari obſervamus, & ob hanc quoque cauſam illis, quibus alvus obſtructa eſt à fecum & inteſtinorum ſiccitate, utiliter conſulimus, ut adbibant paullò largiùs, quod niſi faciant, fruſtrà omnia ſunt ſtimulantia. Sic ſerum quoque lactis caprini præter nitroſam vim aqueâ ſuâ conſiſtentiâ ad alvum leniendam concurrit.

2. *Mucilaginoſa, pulpoſa*, & *humectandi ἐνεργητικῶς, movendique & turbandi* quandoque humores *poteſtate pollentia*, uti paſſulæ minores & majores; ſed exacinatæ, (acini enim omnes adſtringunt,) quas cum fructu commendavimus pro uſu domeſtico in obſtructionibus alvi contumacibus: pira & poma dulcia cocta, tamarindi ipſi, manna, ficus; quin & malva, quæ à molliendâ alvo nomen traxit, althæa & ſimilia ob eandem cauſam operantur; licet hæc magis in clyſteribus hodiè locum habeant, quàm interno uſu.

Notandum enim, lenientia eſſe duplicis generis, nempe per os aſſumta, & per inferius guttur infuſa. Finis verò utrorumque eſt idem, nempe emollire feces, & aptare magis ad exitum.

3. *Pinguia*, hæc enim apprimè quoque & parietes inteſtinorum lævigant, & excrementorum duritiem præpediunt, & ſiqua adeſt, tollunt. Hinc butyrum, præcipuè ante paſtum ſumtum, alvum lenit: hinc o°o amygd. dulc. & lini quoque eandem ſolicitant. Ut taceamus, ipſa quoque hæc pinguia gaudere partibus ſalinis ſtimulantibus. Hinc & o°o olivarum ipſum cum cereviſiâ calidâ in colicâ laudatur, cum ſcybalorum ſiccitate & duritie conjunctâ.

4. *Salina*, viſcoſitatem & craſſitiem incidentia, cùm *lixivioſa* & *alcalina*; unde ⊖ ♀ri alvum laxat, item Ra ♀ri, quæ hinc ab *Hartmanno* in alvo obſtructâ & ſegnitie commendatur utiliter; unde hæc quoque in clyſteres recipiuntur: tùm *acidula* quædam, ut ♀ crudus, cremor & cryſtalli ejuſdem, quæ egregiè emolliunt & abſtergunt: tùm *media*, ut ⊖ commune ipſum item

Digitized by Google

item in ſpecie *nitroſa*, unde ☽ crudum, ☽ δatum, arcanum duplicatum, ſæpe alvum eximiè laxant, quod aliquoties obſervavimus. Pertinent huc tùm *plantæ nitroſæ*, quæ præter aqueam humectandi vim pollent abſtergente tali ſtimulo, ut mercurialis, beta, braſſica, blitum, tùm ipſum quoque ſaccharum, item feces liquoribus permixtæ, ut cereviſia recens & feculenta, quæ turbat humores, muſtum & alia ſimilia.

Per ſe id præſtant, quæ naturam, licèt mitiùs, ad excretionem ſolicitant, quod quidem & ſalina quædam ex jam dictis faciunt; præcipuè verò hunc cenſum ſubeunt, quæ acrimoniam ſalino-ſulphuream poſſident, uti non ſolùm aloë inter hæc primo loco numeranda venit; verùm etiam omnia alia propriè dicta purgantia, minori doſi exhibita, lenientia fiunt.

Et hæc *conveniunt* 1. *in quovis morbo*, ſi de tutâ adhibitione & præviâ indicatione alvum movendi ſit ſermo. Non opus eſt, ut in omni morbo adhibeantur, & quidem primo loco, ante omnia reliqua; aſt in omni morbo adhiberi poſſunt, in quovis enim alvum apertam eſſe, bonum eſt.

Dari etiam *poſſunt* 2. *cum cibo*, tùm alimentoſa, tùm, quæ turbandi humores & ventriculum tantam vim non habent; ſed benigna ſunt & balſamica, de quibus jam ſuprà abunde diximus.

Adjuvant item hæc 3. *ipſa purgantia*, ut cum prunis & paſſulis decoqui commodè poſſunt alia, adeò, ut ſæpè lubricantia palmam reliquis anteferant, quale exemplum *Walæus* annotat, *meth. medendi p. 50.*

Omne ſcilicet hoc præſidium *emollit feces, nec ſinit eſſe graves.*

Aſt educunt quidem lenientia feces alvinas, & primas vias evacuant; attamen 4. *humores in primis viis non ſola indicant lenientia*; ſed eorundem reſtagnatio & infarctus omninò quoque purgantia fortiora, ſeu propriè dicta requirunt.

5. *Eſt, ubi mollientia & lubricantia magis conveniunt; eſt, ubi leniter detergentia & ſtimulantia. Illa* ſcilicet magis conveniunt, ubi ventriculus ſibi conſtat, & ſiccitas inteſtinorum adeſt; *hæc*, ubi ſtimulus naturalis & expulſio naturæ deficit. *Illis* non obruendus

Digitized by Google

endus ventriculus, facilè enim ejusdem tonus ita læditur; *hi* non adſuefacienda natura: neutris abutendum eſt.

Præcipuè verò lenientia locum habent in debilibus, & tunc fiunt purgantium ſuccedanea, v. gr. in gravidis & puerperis, febribus, imò hypochondriacis ipſis, clinicis, lectulariis, ſenibus, infantibus etiam & pueris.

LIB. II. SECT. II. CAPUT III.

De purgantibus.

LAtus ſe hîc offert diſſerendi campus, tùm de agendi purgantium modo, qui à variis traditur diverſus, tum de aliis huc pertinentibus. Ut verò intimiùs hæc naturæ arcana indagemus, priùs dicemus, *quâ ratione non agant*, hinc, *quâ agant*, breviter ſubjuncturi.

1. *Non agunt trahendo ſimilia.* Quæ enim quæſo vis magnetica hîc videri poteſt vel colligi? niſi ad occultum ignorantiæ aſylum velimus confugere. Non enim ſimiles ſunt vel cognati purgantibus humores, neque ſecundùm qualitates, uti ſimilia ſimilibus ſolvuntur, niſi accidentarias quasdam conſideremus, quod aloe v. gr. ſit amara, ut bilis; neque quoad ſubſtantiam, neque alias circumſtantias. Neque, ſi id vel maximè concedamus, eſſe ſimiles, id quadrat ad ipſorum effectum, quem edere obſervantur, cum foràs propulſent humores, & magno ſæpe ſatis cum impetu.

2. *non fermentando*, ita ſcilicet, ut ſoli fermentationi omne hoc adſcribi poſſit, & hoc modo unicè abſolvatur purgandi actio. Utut enim multa concurrant in eâdem, quæ in fermentatione quoque accidunt, confuſio & heterogeneitas particularum, turgeſcentia, & motus humorum inteſtinus, ac conſequens ſeparatio ab invicem, adeoque remotiori quâdam analogia fermentatio & hîc aliqua admitti poſſit. Differunt tamen mediis & fine, & ſimile non eſt idem, neque fermentationis notio æque exhaurit omnem operandi modum. Hinc utut effectum talem, fermentationem quandam, edant, reſtat tamen nihilominus dubium,

Digitized by Google

dubium, quomodo id fiat, quâ ratione hinc ſequatur talis excretio, aliaque.

3. *Non contrarietate inimicâ & venenoſitate*, ita, ut oppugnatum eant naturam inſtar hoſtis cujusdam, cui ipſa primùm vitioſos humores, hinc, ſi idem urgeat, bonos quoque, & tandem ipſum ſanguinem opponat, non aliter, ac ingruente in bello extraneo hoſte, ac regnum impetente ad tympani ſonum de tribu levi homines concurrunt, qui factâ acie ab hoſte facilè & primi cæduntur; hinc cives & incolæ, demum & nobiles ſe opponere coguntur, quorum illi minùs curantur; hi verò ægrè perduntur: Uti id ipſum latiùs deducit & contendit *Glauberus furn. philoſoph. cap. 10. p. 272. ſeqq.* & vulgata eſt criminatio, purgantia eſſe venena. Hæc ipſa demonſtratio non ſcientifica eſt; ſed remotè rem explicat, in generalibus conſiſtit, nucleum verò non attingit: delineat; aſt minus rectè.

4. *Non cum ſimilitudine ſubſtantiæ ob ſpiritus quosdam, qui ſint inſtrumenta actionis*, quæ à formâ ſpecificâ medicamenti proveniat, qui quidem ſpiritus tunc exeant ab iis, cumprimùm à calore corporis incaleſcant & actuentur ad operationem, quod ſtatuit *Martianus comm. in Hipp. lib. de nat. hom. p. m. 18.* ubi & plura hanc in rem ſatis quoque eleganter diſſerit. Non negamus enim reſolutionem medicamentorum purgantium, quòd explicentur eorum vires & ἀπόρροιαι à principiis ſalinis & ſulphureis oriundæ; attamen hi conceptus nimis adhuc ſunt vagi, lati, nec rem vel attingunt, vel exhauriunt.

5. *Non pulſione ab antipathiâ medicamenti purgantis adverſùs humorem excrementitium*, uti *Joubertus decade 2. parad. 9.* ſtatuit, & prolixius deducere conatur. Gratis ſanè id dicitur, & expelli humores, certum quidem eſt; antipathia verò iſta in reipsâ locum & fundamentum non habet.

Ut verò remotis his obſtaculis jam pateat, in quonam conſiſtat purgantium agendi vis & efficacia, omnes quidem videntur in effectu concedere, & in hoc convenire, quòd *purgantia irritando & ſtimulando agant:* non tamen æquè conveniunt autores, *an irritatio illa adſcribenda ſit naturæ ipſi*, quæ ſentiat ſtimulum à purgantibus cum ipſâ communicatum; *an verò humores* à medi-

Digitized by Google

medicamento agitati exitum affectent, & *naturam* ad expellendum & quomodo *irritent?*

Dicimus 1. *purgationem* eſſe vel *ſpontaneam*, vel *arte factam*. *Spontanea* eſt vel *critica*, id eſt, quæ fit cum naturæ levamine, illâque vincente & benè agente; vel *ſymptomatica*, quæ cum ejusdem læſione accidit, & virium debilitate. Utraque irritationem præſumit, ſi non ab extraneo, ipſo tamen domeſtico humorum ſtimulo excitatam: neque enim inficias eundum, acrimoniam in his latitantem ſi excedat, & copiâ ſimul peccet, ſtimulare & irritare facilè poſſe naturam.

2. *Bilis ut clyſteris naturalis fungitur munere ac vice: ita ſtatu p. n. nimis ferociens & tumultuans facillimè diarrhœas & dyſenterias ipſas excitat.* Hinc neceſſe eſt dari aliquem ſtimulum ſalino-ſulphureum, qui naturæ negotium faceſſat, eandemque ad excretionem ſolicitet.

3. *Patet acrimonia purgantium ipſo ſenſu*, ſi guſtemus v. gr. gialapium, ſcammonium, & ſimilia, *manifeſtè*: quid enim ſenſibus eſſe poſſit certius? hinc helleborus etiam inter maſticatoria ſuum invenit locum, ut de aliis pluribus taceamus. Neque obſtat, in quibusdam magis hanc acrimoniam eſſe explicitam & patulam, ſenſibus obviam, in aliis minùs, & abſconditam, ut mox dicetur.

4. *A purgantibus*, præcipuè δραστικοῖς, *obſervantur tormina*, non ſolùm ob commotionem & flatulentiam humorum, verùm præcipuè ob adjunctam acrimoniam, quâ inteſtina vellicant, ſi non mitigata ſint.

5. *Obſervamus etiam, ab acidis obtundi purgantium vim*, manifeſto indicio, hoc modo infringi eorum ſtimulos ſalinos & ſulphureos. Sic helleborus, ſic colocynthis, imò ipſum ♁ium, ſeu potius ejusdem crocus & vitrum, ~u 🜖li, 🜊 corriguntur & mitigantur.

6. *Si adimamus purgantibus partem reſinoſam ſeu 🜍ream propriè dictam, & ſalinas particulas, etiam aliis, quàm per acida, modis, omnis purgandi vis vel debilitatur, vel emoritur.* Sic reſina gialapii v. gr. proportione factâ minùs purgat, quàm in ſubſtantiâ datum, quia particulæ ſalinæ elutriatæ ſunt, & gummoſæ ſeorſim ſecedunt:

Digitized by Google

dunt: par ratio eſt aliorum. Sic præcipuè exempli loco inſervire poteſt ♁ium, de quo duo experimenta poſſunt notari, ad alia etiam purgantia ſuo modo applicanda:

(1.) *Quamdiu ſalina volatilis & ſulphurea vis in ♁io remanet, tamdiu vomitorium eſt & purgans; hâc verò penitùs ablatâ nullo modo purgat.* Hinc vitrum, & crocus ejusdem in infinitum quaſi vires purgandi obtinent, quæ vel centenis infuſionibus exhauriri nequeunt. Hinc ipſum ſulphur ejusdem, licèt ob partes ſalinas refractas mitiùs, adhuc vomitũ movet. Aſt ♁ium diaphoreticum, ubi nitri acceſſione ſufficienti omnes illæ partes avolârunt & expulſæ ſunt, ſudoriferum potiùs eſt, & ad ℈ß, ℈j & ampliùs ſumi poteſt, licet fuſorio igne adhibito denuo in regulum redire ſoleat.

(2.) *Quamdiu verò non expanſum eſt antimonium, nec particulæ ſalinæ, mercuriales, & ſulphureæ explicitæ, tamdiu quoque non purgat.* Hinc crudum id non æquè præſtat, quin à nonnullis inter antepileptica interiùs etiam infantibus exhibetur.

Neque obſtat, hanc acrimoniam non ſentiri ore: unde elegans eſt locus apud *Harvéum exercit. 56.* Mirum profectò eſt, *ait*, quòd ab infuſione ♁ii epotâ uſu venit, quam neque guſtu diſtinguimus, nec deglutitione aut rejectione moleſtam ſentimus; ventriculo tamen ſenſus quidam ineſt, quo noxium ab utili diſcernat, indeque ad vomitum provocetur.

7. *Potiſſimum* verò, quod præter jam dicta in agendi purgantium modum nos intimiùs deducere poteſt, *eſt, quod purgantia ſimul ſunt ſternutatoria.* Concipiamus nobis, quantum ab hauſto hellebori pulvere, qui ſternutatoriorum quaſi apex eſt, vel gialapii, iridisve, turpethi aut colocynthidis præcipuè atomis, (licet hæc ob vehementiam minùs ſint uſualia, vel cautè adminiſtranda), ut alia taceamus, irritetur membrana narium, ut concutiatur cerebrum, ut liquentur humores, ut impetu facto excernantur à naturâ. Eodem ſanè modo in ventriculum hauſta purgantia teneras ejusdem & inteſtinorum fibras vellicare, pungere, irritare, & ad expellendum ſtimulare, certiſſimum eſt.

Neque obſtat, dari ſternutatoria alia, quæ minùs purgare

obſervantur. Sufficit enim nobis, tùm in illis eandem particularum texturam non æque ineſſe, ut ſulphuris & ſalinarum particularum adſit proportio, uti piper, v. gr. magis ſalinâ, quam ſulphureâ qualitate pollet: tùm eadem nihilominùs irritare & purgare poſſe; ſed ob vehementiam & nimium calorem minùs tuta eſſe, uti de euphorbio certum eſt, quòd ſit purgans itidem; ſed minùs ob violentiam uſuale, inter ſternutatoria verò vel helleboro ipſo vehementius.

Dicamus ergo 1. *purgantia agere irritatione*, quâ natura ſtimulum acquirit ad excernendum humores, unde elegantiſſimus locus eſt *Galeni 4. aphor. comm. 19.* Medicamenta purgantia, *ait*, habent aliquam, etſi neque manifeſtam, neque ſenſibilem; attamen latentem acredinem atque caliditatem.

2. *Purgantia agere & irritare propter acrimoniam, quâ pollent, ſalinam, magis vel minùs volatilem, cum ſulphure combinatam*, irritant verò inprimis tunicam inteſtinorum nerveam, & glandulas inteſtinales. Unde inteſtina, quæ aliàs teſtudineo periſtaltico motu non ſaltim primæ culinæ recrementa, ſed & viſcerum fimeta & quiſquilias receptas tardius ſecernunt, ut ſenſu exquiſito pollent, ad accelerandum opus ſuum excretorium adiguntur. Hinc & ſaporem pleraque poſſident acrem; licet in aliis magis in receſſu, in aliis verò planè ferè corroſiva ſit acredo.

3. *Purgantia liquare & fundere humores*, expanſâ ipſorummet acrimoniâ, unde primariò ſtercorea ſcybala tenuia quoque fiunt, & excernuntur. hinc humores ſeroſi & glioſi ad exitum ſolicitantur, ut quilibet horum è ſuis alveis confluant fortius, ut glandularum inteſtinalium papillis exprimatur liquor contentus ſuperfluus, adeoque ipſa maſſa ſanguinea amurcam ſuam huc amandet. Sique non deſinant irritare, tandem & ipſe inteſtinorum mucus penitus abraditur, cujus abundantia & primo loco ſecedit, & oſculis vaſorum apertis ſanguis ſtillat ipſe.

4. *Poſitâ liquatione ſeu fuſione humorum, & naturæ irritatione, ſequitur excretio* major vel minor, prout & humores fuere diſpoſiti ad fluendum, & natura ipſum ſtimulum ſentire potuit. Verbo: liquantur humores, natura irritatur, ſequitur excretio.

5. *Irritatio hæc non eſt limitata*, ut unus ſolus humor, ab uno

ſolo

ſolo purgante evacuetur; ſed evacuatur, quidquid obvenerit, quidquid in inteſtinis & proximioribus vaſis hæret, unde

6. Patet, *præſentiam humorum vitioſorum & indicare purgantia, & ab iis accuratè tolli:* hinc ſanis corporibus purgantia nocent, teſte *Coo*, quia irritant temerè naturam, humoresque laudabiles liquant.

7. *Omnia æquè purgant omnes humores; ſed non omnes tàm benè:* ſeu, quod quaſi conſectarium eſt, qui humor magis abundat, ille etiam magis evacuatur; ſunt tamen, quæ magis irritant ſerum, ſunt, quæ magis bilem, ſunt, quæ magis alvi feces, ſunt, etiam, quæ horum vitiis conſultiùs, non tàm ſuâ naturâ, quàm ob alias circumſtantias adhibentur.

8. Patet quoque, *purgantia tollere cauſam morborum*, cujus ſcilicet præſentia in & cum humoribus eadem indicat: porrecto ergo purgante, eadem unà cum iisdem exturbatur neceſſariò. Hinc cùm in principio illa ſit educenda & minuenda, antequam in nervum erumpat, patet quoque

9. *Purgantia*, ut & venæ ſectionem, *nunquam oportere morbo jam conſiſtente adhiberi*, quod elogium eſt *Galeni lib. 2. aph. comm. 29.* tunc enim coctiones morborum fiunt, & vires, animales præſertim, multum jam ſunt debilitatæ.

10. *In quibus irritandi vis ſeu acrimonia ſalino-ſulphurea eſt obtuſa, illa debiliùs operantur; in quibus verò major & ſibi magis relicta, illa fortiùs agunt:* unde differentia pateſcit, quòd alia ſint mitia, alia mediocria, alia fortiora, quæ omnis & tota in hoc ſolo fundamentum invenit; licet maximè quoque reſpectus ſit habendus ad ipſius ſubjecti recipientis diſpoſitionem.

Qui enim facilè irritantur ab acri hoc ſtimulo, doſi minori, imò minimâ egent, ſive ob teneritatem corporis & membranarum, ſive ob domeſticum humorum acrium ſtimulum, qui ab extrinſeco hoc in actum magis deducitur, & contrà: unde naturæ robur adeſſe dicimus, quando eadem ſtimulum huncce non tàm facilè ſentit, & vice verſâ.

Dum verò circa materiam hanc purgantium ipſam verſamur, notare etiam operæ pretium eſt, doſes purgantium tùm in genere, tùm in ſpecie communiter ab autoribus falſò apponi, &

citra experientiæ examen ferè transſcribi: imò plurimas doſes nullo modo uſitatas eſſe, uti hoc in exemplis patebit magis.

Uti verò ſatis jam, ubi de purgantibus rite adhibendis egimus, mentem noſtram expoſuimus de poteſtate purgantium electivâ, quomodo diſtinctio inter cholagoga, phlegmagoga, melanagoga, & hydragoga locum habere poſſit, ita jam ſaltim dicemus, omninò neceſſarium ad praxin eſſe purgantium *ſelectum*, tùm quoad *humores*, quibus debentur, evacuandos, tùm quoad *ipſam* eorundem *materiam*.

Quoad *prius*, aſſeremus, poſſe quidem doctrinæ gratiâ è ſuprà dictis cauſis retineri terminos hoſce, ut aliis alia magis convenire noverimus; attamen, ſi penitiùs rem inſpexerimus, præmiſſo & conceſſo, omnia ab omnibus evacuari purgantibus, bilem, ſerum, feces inprimis, dicimus,

1. *Quæ bilem evacuant, eadem & melancholiam purgare:* (melancholia enim nunquam eſt ſine bile, ſive acidis ſit obtuſa, ſive acrimonia quaſi ſublimata,) uti v. gr. ſena, rhabarbarum, ſcammonium & helleborus, hanc inter ſe convenientiam habent, ut ſena à rhabarbaro, ſcammonium ab helleboro tantummodò gradibus differant.

2. *Quæ pituitam liquant & evacuant, eadem & ſerum educere*, conceſſo, quod alibi innuimus, pituitam nihil eſſe, quàm ſerum concretum, ſive in fieri, ſive in facto. Sic agaricus & gummi guttæ, mechoacanna & gialapium, colocynthis & elaterium gradibus invicem ſolùm maximè diſtant, & quaſi certant.

Sunt itaque vel mitiora, vel fortiora, &, quædam magis irritant, quædam magis liquant humores & fundunt, quædam utraque magis præſtant.

Obiter hìc notare placet, utriſque, & cholagogis & phlegmagogis collectivè ſumtis nimiùm evacuatis humoribus, facilè tùm in aliis maraſmum & atrophiam, ut præſertim in pueris; tùm in aliis cachexiam & hydropem oriri, de quo elegantiſſimus exſtat locus apud *B. Mœbium fund. med. phyſiol. p. 368.*

Lib.

Lib. II. Sect. II. Caput IV.

De purgantibus non uſitatis, & rarius uſitatis.

Quoad *alterum*, notamus, alia purgantia eſſe uſitata frequentiùs, alia rariùs, alia planè inuſitata eſſe.

Non Usitata ſunt, id eſt, quæ partim non purgant omninò partim purgant quidem, aſt exoleta ſunt, quia minùs tuta vel fida, vel grata,

1. *Terebinthina*, quam alii in coloſtro cum ovi vitello ad calculum expurgandum: quidam etiam ad arthritica mala feliciter adhiberi poſſe prædicant: ſed vulgo aſſignatâ doſi illâ ad ℥ß. omninò non dari uſitata, cœteroquin boli vel coloſtri formâ propinanda, κακοςόμαχ☉.

2. *Polypodium* alterantis potiùs cenſum ſubit, unde notavimus à ſtudioſo aliquando ad℥iijſumtum ne quidquam purgaſſe. In ſcabie deſiderata radix: lenit enim humores acidos auſteros, aſperitatemque inſimul trachéæ ſeu aſperæ arteriæ corrigit, aliiſque pectoris affectibus medetur; aſt inter purgantia, præterquam infuſa & decocta quandoque, ut additamentum, vix ampliùs locum habet.

3. *Semen pſyllii*, quod potiùs ad mucilaginem extrahendam in uſus potiùs alterantes & demulcentes, quàm purgandi ſcopo in uſu eſt.

4. *Sirupus* & 5. *mel violarum* leniendi fine & abſtergendi, non item purgandi, adhibendum: in clyſteribus locum habere poteſt.

6. *Flores perſicorum* & 7. *acaciæ* purgant quidem & laxant in infuſis; verùm purgantis munus vix obire poſſunt.

8. *Sambuci cortex medianus viridis*, & 9. *ſuccus radicis ejuſdem* quoque in uſu eſſe deſiêre, ob acrimoniam ſummè moleſtam.

10. *Aſarum* inter vomitoria referendum, & ob vim aromaticam volatilem ſalinam minùs inter purgantia.

11. *Myrobalani omnes* magis alterant, & poſſunt quidem unâ

Digitized by Google

vel alterâ vice ingredi decocta vel infuſa, attamen magis, ut diximus, alterandi vel leniendi ſaltim ſcopo.

12. *Euphorbium* errhinum magis eſt, & cariem oſſium extergit, nervorumque vulnera ſolatur. Vid. *Scultetus in armament. chirurg.* Torminibus infame eſt & ardore, quibus ad mortem ferè novimus afflictam virginem, quæ à pharmacopœo imperito id hauſerat. *Heerius* verò, dum ab *Helmontio*, quem empiricum vocat, propinatum ſcribit idem, ipſi videtur injuriam facere.

13. *Opopanax* & 14. *Sagapenum* inter gummata reſolventia & diſcutientia potiùs numeranda, neque opus eſt pilulis de ſagapeno, quibus *Camillus*, medicus & nobilis Genuenſis, quartanas feliciter curavit, ante paroxyſmum exhibendo. Hîc verò inter purgantia locus iis vacans hodiè relictus eſt.

14. *Lapis Armenius* in uſu eſſe planè deſiit, nec in officinis ferè ampliùs reperibilis eſt.

15. *Lapis lazuli* verò, licet à vulgari diſpenſatoriorum errore maximè accuſetur acrimoniæ, unde vel quinquageſies lavare & calcinare, ſunt, qui præcipiunt; innoxius tamen eſt, & ſuos uſus habet, magis ut alterans, abſorbens & præcipitans, quàm ut purgans. Dedimus ipſum præparatum aliquoties in maniacis & melancholicis ad ℈j cum gialapio, ana, citra magnam turbandi vim.

16. *Helleborus albus*, qui *Hippocratis* tempore uſitatus fuiſſe ſcribitur, inventis hodiè magis tutis & gratis ſede ſuâ turbatus itidem eſt, & ad errhina detruſus.

17. *Iris noſtras*, licet apud *Platerum* & quosdam alios exempla occurrant exhibiti ſucci; attamen, cùm acrimoniâ ſuâ fauces lædat, & ventriculo ingrata ſit, itidem exauctorata eſt. *Iris* verò *Florentina* in pulveribus infantum lenitivis locum habere poteſt, quem in finem ex *mechoacannâ albâ, iride Florentinâ,* & ☿io *diaphoretico* fit inſignis *pulvis*.

18. *Mezereum* vix hodiè ampliùs ad hydropicorum aquas, præterquam ab empiricis, uſurpatur, adeoque & pilulæ de mezereo exoletæ ſunt.

19 *Seminis* & 20. *corticis ebuli* uſus itidem ex foro medico ad vulgus abiit, quod ſæpè damnoſa experimenta cum his talibus facit.

21. *Bryo-*

Digitized by Google

21. *Bryonia* inter uterina alterantia magis referenda.

22. *Rhamnus ſolutivus*, cujus ſirupus domeſticus, ſive de ſpinâ cervinâ commendatus olim fuit, ſuccum viridem magis ad pigmenta exhibet.

23. *Granatilli*, & 24. *ſemen ricini* in uſum venire hodiè quoque ceſſ[illegible]runt.

25. *Epithymum* magis inter alterantia, & ea, quæ purgantibus addi ſolent. quàm ipſa purgantia referendum, unde in melancholiâ locum habet, tùm ob vim aperiendi, tùm roborandi, lenem aromaticam.

26. *Frangulæ cortex* ad unguenta contra ſcabiem hodiè magis abiit.

Rarius Usitata ſunt, quæ, licet purgent & adhibeantur; non tamen ita frequenter,

1. *Caſſia ſolutiva*, 1. pectoralis eſt, 2. nephriticos juvat, 3. acrimoniæ humorum ſeroſæ debetur, unde & in gonorrhœâ locum habet. Aſt ob flatulentiam ventriculum lædit, unde corrigenda; hyſtericis etiam minus prodeſt. Datur melius in bolo vel electuario, frequentius quoque clyſteres ingreditur, quos colore ſuo tingit.

2. *Tamarindi*, de quibus not. 1. ſæpe alterandi fine ob gratam aciditatem uſurpari; 2. dari in pulpâ, in potione, ſeu decocto, in bolo; 3. corrigere acrimoniam volatilem ſulphuream & biliosam ſanguinis, unde in febribus, & hæmorrhoidibus immodicis, aliiſque in uſum trahuntur; 4. hepar calidius, & ſicciores ſolatur.

3. *Manna Calabrina* 1 in infantibus & delicatis magis locum habet, etiam in ſubſtantiâ, cum pulte, modo non tormina adſint graviora. 2. Meliùs datur in potione, ſive in decocto, ad ℥ij, vel iij, juxta *B. Rolfincium*, vel potiùs ab ℥j ad ij, ſive in potione, ſi cum [illegible]u veron. vel hyſſopi ana ℥j ſumatur. 3. In bolo, & electuario lenitivo, ſed rariùs. 4. Magis prodeſt in affectibus pectoris. 5. Minùs bilioſis & calidis, unde in febribus, ictero, &c. minus convenit: hinc & major quantitas vitanda, hinc & rectiùs inter phlegmagoga, quàm cho[illegible]goga refertur.

4. *Turbith* 1. ferè ad primam claſſem ſpectat, ob acrimoniam enim

Digitized by Google

enim ſuam minùs commodè uſurpatur; 2. cum verò quandoque ob incidendi phlegma vim locum habére poſſit, 3. uſurpari ſolent, licet paullò rariùs, ſpecies diaturbith cum rhabarbaro, à gr xv ad ℈j, 4. quæ in vermibus inſignis ſunt uſus, commendatæ ab *Heerio*. 5. poſſunt miſceri cum gialapio.

5. *Cnicus* ſeu *ſemen carthami* 1. prodeſt ad affectus pectoris, aſthma, & ſimiles bronchiorum obſtructiònes à viſcosâ pituitâ. 2. Non datur in ſubſtantiâ; ſed in emulſionibus, cum aliis. 3. Item in decocto & extracto. 4. Electuarium diacarthami ad ℥ß etiam præſcribi poteſt.

6. *Mamliſta*, recens radix ex Indiis allata, æmulatur colore ferè bryoniam, niſi quod fuſca magis ſit & lignoſa, virtutibus mechoacannam; nondum verò in civitatem penitùs eſt recepta, cùm non aſſequatur virtutem ſelectorum, Doſis eſt ℈i.

7. *Hermodactyli* rejiciuntur à *Foreſto*, qui bulbum agreſtem, *colchicon* Græcis dictum, eſſe putat, *lib. 29. obſerv. 8.* in podagricis tamen aliquando hermodactylus verus locum habet in ſubſtantiâ, cum aliis acuendus.

8. *Colocynthis* 1. nunquam datur in ſubſtantiâ, neque in infuſo, exceptis ſeminibus, quæ ita dari poſſunt; multò minùs in decocto: quin ipſe —us *vitæ aureus Rulandi* exolevit ob amaritiem; 2 radit etiam inteſtina & dyſenteriam excitat facilè, ſi excedatur, nec corrigatur. 3. In clyſteribus tùm ob hanc cauſam, tùm levitatem, ligatur in petiâ. 4. Non datur, niſi loco ſtimuli in trochiſcis alhandal, vel horum extracto nunquam ſola. 5 Hi ipſi trochiſci non facilè dandi in formâ pulveris, & ſoli, exinde enim ſæpiùs convulſiones fuere ſecutæ. 6. In vermibus expugnandis locum habet.

9. *Helleborus niger* 1. ſolùm in uſu eſt quoad fibras, & quidem Styriacus verus, Hippocraticus enim ſeu ferulaceus, flore flavo, debilior eſt. 2. In infuſis & decoctis ſolùm locum habet ad ʒj, ij, iij, cum corrigentibus. 3. Nunquam ſolus datur; ſed cum aliis mitioribus, multò minùs in ſubſtantiâ. licet in contrarium proſtet *Manardi* experientia. Ego certè, ait *l. 3. epiſt. 3.* cum è contrario multi ſoleant, quo magis ſeneſco, eò audentior fio, exhibui crebrò hellebori nigri integram drachmam, adjectis

Digitized by Google

jectis etiam dacrydii gr. ij. nec vel moleſta, vel major plus debito ſecuta eſt purgatio. 4. Extractum etiam loco ſtimuli magis exhibetur, à ℥v ad ℈ß. 5. In melancholicis, maniacis, morbis capitis gravioribus, quartanâ, & aliis rebellibus locum habet.

10. *Eſula* à *Rulando* crebriùs in uſum tracta, 1 ob acrimoniam facilè inteſtina exulcerat, unde 2. non niſi in extracto ad ℈ß ferè datur, & 3. cum aliis. 4. Maximè convenit in hydrope.

11. *Elaterium* 1. minori doſi ad ℥v, 2. in hydrope, & quidem in pilulis, 3. aquis acidularum reſtitantibus; & loco ſtimuli magis adhibetur. 4. Errhinum aliàs eſt non contemnendum.

12. *Gratiola* & 13. *ſoldanella* 1. non niſi in hydropicorum aquis educendis, 2. in decoctis vel infuſis ad ʒj, iß, ij, in uſum ferè veniunt: 3. in pulveres verò hodiè non recipiuntur, ob diffuſiorem molem, quâ moleſta ſunt, & illa inprimis ob amarorem. 4. Gratiolæ ſuccus inſpiſſatus in pilulas fingi poteſt; ſed itidem paullò rariùs id fit.

14. *Gummi gutta*, quaſi dicas, gummi ad podagram, 1. in hydropicis purgandis & ſeroſis humoribus aliis locum ſuum tueri poteſt, 2. minùs tamen commodè in ventriculi debilitatibus, illum enim inſigniter lædit; 3 magis præparatum, ut gummi guttæ roſatum, ⊖latum, magiſterium gummi guttæ, quàm crudum, vomitum enim facilè movet. 4. Datur à ℥iij ad vj & ℈ß.

15. *Mercurius dulcis* (1.) non niſi in pilulis vel bolo exhibendus eſt, nunquam in pulvere, quia dentibus & gingivis eſt inimicus. (2.) *Benè præparatus*, & non quidem ſæpiùs rectificatus; attamen ſelectus & elotus, licet hæc ipſa lotio quoque parum vel nihil acris corroſivitatis oſtendat. (3.) Datur in impuritatibus ſanguinis, ſcabie, lue venereâ, pſorâ, ulceribusque aliis. (4.) In affectibus ſeroſis, ut hydrope. Mercurialia enim omnia maximè fluxile reddunt ſerum, & ejus coagulationem prohibent præ omnibus aliis, pituitamque liquant, unde etiam pilulæ de la violette *Quercetani* laudem merentur. (5.) In fluxibus ſeminis, ſeu gonorrhœâ ſimplici & virulentâ, ob eandem inter alia rationem; ulcus enim veſicularum ſeminalium, à quo malum fovetur, rumpit & expurgat, unde etiam ab ejus uſu fluxus videtur augeri. (6.) In vermibus, lumbricis teretibus & cucur-

Digitized by Google

cucurbitinis &c. prodeſt. (7.) Doſis eſt ℈v, vj, ℈ß, ℈xv. præſtat verò eundem dare cum aliis ſtimulantibus, eſt enim paullò ſegnior, unde cum extracto panchymagogo vel gialapio in bolo præbendus, &c.

Hæc, inquam, ſunt paullò rariùs uſitata, ſeu, quæ partim per ſe ſola raró dantur, magis autem cum aliis, partim ſegniora ſunt, ut caſſia, hermodactyli, partim vehementiora, δραστικά, unde ſtimuli loco ad acuenda alia inſerviunt: imò inter hæc ipſa quoque quidam ſelectus poſſet inſtitui iterùm, ſi curioſiores eſſe velimus, ultra quàm par eſt, vel uſus practicus efflagitat.

LIB. II. SECT. I. CAPUT V.

De purgantibus uſitatioribus & ſelectis.

MAGIS USITATA & ſelectiora, tum lenientia, tum purgantia tandem, quantum pro noſtro uſu, breviter enumeranda reſtant, quorum ſanè numerus poſt exauctorata & ſelecta alia ad pauca jam redit.

1. *Aloe* 1. optima eſt ſocoterina, 2. melius extrahitur, leniendi fine, aqueis quàm ſpirituoſis. 3. Melius operatur doſi minori. 4. Melius datur in pilulis, quàm ullâ aliâ formâ. 5. Teneſmum hæmorrhoidalem facilè cauſatur, & hæmorrhoides ciet. 6. Pilulis non abutendum. 7. Menſes movet & pallores virginum curat. 8. Magis convenit zythopotis, 9. magis humidioribus & obeſioribus. 10. Minus hæmoptyicis, hecticis, phthiſicis, ſiccioribus, &c.

2. *Agaricum* 1. nunquam quidem datur in ſubſtantiâ, tùm ob levitatem, quâ ventriculo quaſi innatat, tùm ob debilitatem & ſegnitiem, unde 2. trochiſci de agarico, ſeu agaricus trochiſcatus. licet correctio ipſa non ſit eſſentialis, acui debent fortioribus aliis & 3. minori ſaltim quantitate hinc dandi, ne ventriculum gravent; 4. locum etiam ipſi habent in ſternutatoriis quandoque; 5. In infuſis verò, decoctis & clyſteribus uſitatò & frequen-

frequenter recipitur agaricum; 6. in extracto etiam commodè pilulas ingreditur, & trochiſcis ipſis. 7. Morbis ſeroſis, ſive in capite, ſive pectore, ſive alibi reſtagnent, magis debetur. 8. In infuſis ad ʒj, ℈iiij, ʒiß, ʒij; trochiſci ferè à gr v ad ℈ß, gr xv, cum ſcammonio, &c.

3. *Mechoacanna alba* 1. quidem, poſtquam gialapium inventum fuit, palmam huic reliquit, & minùs, ac anteà, frequentata eſt in praxi; attamen & ipſa quoque uſu ſuo ſatis ſe commendat etiamnum. 2. Præcipuè enim debilibus, pueris, puerperis, lectulariis & ſimilibus egregiam navat operam, & uti gialapio cedit activitate: ita blandiori & mitiori operatione ferè dubiam ipſi reddit palmam. 3. Neque ſolùm in pulvere retineri & dari poteſt, modò addantur ſtimulantia, ad ℈j, ʒß, ultrà enim adſcendere non attinet; verùm etiam 4. in infuſis & decoctis præ gialapio ferè frequentiſſimè recipi conſuevit ad ʒj, iß, ij & amplius.

4. *Rhabarbarum Alexandrinum*; (monachorum enim vulgò dictum non niſi in clyſteribus forſan in uſu eſt,) 1. inter purgantia ſelectiora mitiora primarium eſt, 2. tutum enim & innoxium eſt medicamentum infantibus, (quibus in ſirupo de cichorio cum rhabarbaro, Rhabarbarſafft / commodiùs & uſitatiùs datur,) prægnantibus & puerperis etiam, (quibus in infuſis ad uterum mundificandum tota die exhibetur,) longè uſitatiſſimum. 3. Inprimis hepar ſolatur, & biliosos humores apprimè ſedat & educit, unde in ictero, hydrope, febribus tertianis omne abſolvit punctum: in hypochondriaco etiam affectu, ob roborandi vim, eximium: quin imò animæ & theriacæ hepatis nomen hinc adeptum eſt. 4. Uſurpatur etiam loco purgantis nobiliſſimi, ubi adſtrictione ſimul opus eſt, unde, quia ſcilicet adſtrictionem poſt ſe relinquit, in cholerâ, diarrhœâ, dyſenteriâ, laudatiſſimum eſt, cùm ob partes terreas parietes fibrarum conſtringat & roboret glandoſas papillas. 5. Doloribus colicis à bilioſis humoribus mirè etiam confert, laxando ſcilicet alvum, & bilem ſeducendo. 6. Vermibus enecandis tùm ob lenem amaritudinis vim, tùm purgandi efficaciam commodiſſimè quoque adhibetur. 7. Datur quidem in pulvere quoque ad ℈j, ʒß, cum

Digitized by Google

aliis: ultra hanc doſin, ob nauſeam molis & incommoditates alias, vix adſcendimus; ſed potiùs additis medicamentis tartareis anaticâ, vel ſubduplâ minorive doſi,& ſtimulis aliis,ut ſcammoniatis &c. idipſum acuimus; 8. Attamen frequentiùs in decoctis vel infuſis primum inter purgantia locum obtinet, ad ℥j, ij, vel iij. Hæc ipſa etenim, infuſa rhabarbarina putà, decocta longè ſuperant. 9. In extracto etiam pilularem induit formam. 10. Quin etiam ob benignitatem hoc ipſum rhabarbarum eſt medicamentum, quo ad febres tùm intermittentes, tùm ipſas etiam malignas & ardentes in principio ſolemus uti. 11. In caſu ab alto inſignes etiam obtinet reſolvendi vires, unde à *Job. Langio lib. 3. epiſt. 6. pag. 834.* & *B. Rolfincio tract. de purgant. vegetab. ſect. 12. artic. 1. cap. 19. p. 319.* mirè commendatur. 12. In viſcerum quoque laxitatibus ſuis gaudet dotibus.

5. *Sena Alexandrina* 1. inter omnia purgantia leniora maximè eſt εὐπόριστος, & quaſi domeſtica, quæ ferè ſemper juvat, nunquam lædit, adeò benigna eſt & innoxia. 2. Eligitur & præſcribitur, ſine ſtipitibus, hi enim adſtrictoriâ vi pollent magis, quemadmodum & folliculi, ſi adſint, cum iisdem flatulentias augent. 3. In pulvere quidem quandoque datur, uti pulvis diaſenæ vulgatus pluribus, *Wiero, Langio, Montagnana* &c. adſcriptus, in uſu & notus eſt; attamen, cùm paullò diffuſior ſit, minùs hodiè frequentatur, aut certè non ſine ſtimulantibus exhibetur. Aliquando verò alvum per quatuor dies adſtrictam ſena ſola pulveriſata cum pane vino intrito ſumta ſolvit. 4. Frequentiſſimè verò ingreditur decocta & infuſa, ſive per ἐπίκρασιν, ſive ſimul & ſemel laxantia & purgantia, unde ſena cum rhabarbaro baſin quaſi omnium horum infuſorum & decoctorum conſtituere conſuevit. 5. Præcipuè ſibi jungi amat emollientia, pruna exſiccata, paſſulas, cryſtallos & ⊖ ♀ri. 6. Et ob hanc benignitatem intimioris quaſi admiſſionis eſt, ad quosvis morbos, ætatem, ſexum, uſualis, in gravidis, puerperis, febribus ardentibus, & ſimilibus, ubi reliquis purgantibus locus nullus eſt. 7. Oculis etiam & capiti, teſte *Platero*, dicata eſt, & aliàs in ſcabie, melancholicis, hypochondriacis, cancro, leprâ, officium facit. 8. Sirupus ejusdem in officinis quibusdam in uſu eſt, & inter omnia

alia

Digitized by Google

alia purgantia nullum ad ſirupos aptius hâc ipsâ eſt, cùm ſubſtantiæ terreæ ſalino-ſulphuream admixtam habeat acrimoniam, adeoque hæc coctione magis explicatur. 9 In ſubſtantiâ ad ℈j, ʒß, cum ſtimulantibus; in decoctis & infuſis à ʒj, jß, ad ʒij, ℥ß, ʒvj commodè dari poteſt, licet & hîc valeat, virtutem liquoris quantitatem variare.

6. *Gialapa* omnium purgantium mediocrium celeberrimum, præ omnibus maximè uſuale & receptum; unde pulveris laxativi vegetabilis, phalajæ, & nominum aliorum inventiones ortæ. (1.) Non ſemper eget ſtimulo, niſi in fortioribus; ſed ipſa ſibi ſola ſufficit, (2.) modò non ſit carioſa; ſed compacta, reſinoſa, nigra, & particulis ſulphureis reſinoſis quaſi reſplendens. (3.) Neque correctione abſolutè eget, modò corpus ipſum ſit εὔφορον, neque obſtacula ſecum geſtet, propter quæ tormina exoriri oporteat, adeoque, quod obſervatum fuit ab hujus uſu, quoſdam torminibus & cruciatibus ventris fuiſſe vexatos, id non tam gialapæ, quàm præſenti corporis diſpoſitioni fuit adſcribendum. (4.) Adjuvans tamen optimum, ſicut aliorum quoque purgantium, eſt tartarus, ſeu potiùs ejus cremor & cryſtalli, optimum ſtimulans ſcammonium, vel reſina propria. (5.) Datur in ſubſtantiâ ad ℈j vel ʒß in adultis & robuſtis: in infantibus ad ġij, iij, iiij, quorum tormina & dolores à meconii impuritatibus ortos feliciſſimè extergit, ut ab ejus uſu indormiant ſæpè non aliter, ac ſi opiatum aſſumſiſſent, quod vel centies obſervavimus. In debilibus, tenerioribus & facilè mobilibus ad ġvj, ℈ß datum ſæpe ſufficit. (6.) Poteſt hinc formari in bolos, pilulas, morſulos & centum alia, pro cujusque palato & deſiderio, in quibusvis affectibus, non adeò cum calore & ſiccitate præternaturali vel febri conjunctis, in his enim lædere poteſt. (7.) Aſt in decoctis & infuſis non tàm commodè propinatur: cùm enim reſinoſior ſit, extrahitur quidem pars quædam gummea & ſalina; ſed non ſufficienter, unde maritari quidem iiſdem poteſt, aſt à ſolâ in hoc firmus non poteſt exſpectari effectus. (8.) Vomitus ciet quandoque, magno cum effectu; magis tamen abundantis bilis & aliorum humorum, quàm ſuâ culpâ.

7. *Scammonium* tandem, quod modò à præparatione, mo-

Digitized by Google

dò à patriâ nomina interdum aſſumit alia, & dacrydium, vel pulvis Syrius dicitur, purgantiumque fortiorum cenſum ſubit, agmen hoc claudat.

(1.) Crudum ferè nunquam propinandum, ob ſordes terreas, quibus remixtum ſcatet, plurimas, & ob quas, reſinoſis partibus immixtas, affuſione aquæ lacteſcit.

(2.) Neque ſolum exhibendum, niſi forſan in pilulis, tùm, quia difficiliùs reſolvitur, tùm, quia fortiùs ſtimulat.

(3.) Neque debilibus, puerperis, gravidis, hæmorrhoidibus afflictis, lectulariis convenit.

(4.) Inprimis verò eligendum benè præparatum, ſive coctum in pomo cydonio, quod dacrydium vocant hodiè communiter, cùm propriè nomen hoc toti conveniat: ſive ſulphuratum; quæ utræque tamen præparationes vix pro genuinis poſſunt haberi, cùm bonum cum malo, purum cum impuro relinquant, nec niſi ſuperficiariè non tàm corrigant, quàm caſtrent ex parte ſcammonium: ſeu, quæ omnium optima & genuina eſt præparatio, in reſinam ſeu magiſterium redactum.

(5.) Non dari ſolet in pulvere, niſi minori quantitate, & cum aliis loco ſtimuli: majori enim mole datum conglobatur inter aſſumendum, & tormina ciet.

(6.) Non dandum item in febribus ardentibus, continuis, malignis, & ſimilibus, maximè enim turbat humores, & facilè hypercatharſin excitat, unde poſtmodum naturæ debilitas & mors.

(7.) Ut ſtimulans ergo ſaltim datur ad g̃ij, iij, iiij, vel v, cum gialapio & ♀reis; ut baſis in pilulis, & adjuvans prim rium ad ℈ß vel g̃xij, ita enim è gialapii & ſcammonii ana g̃x vel xij cum elixirio proprietatis & oleo aniſi fiunt pilulæ longè efficaciſſimæ, ſive addatur Mᵖil. aloet. ſive non, dividendo hinc doſin, ut pars veſpere præcedente, pars, prout præmiſſa illa operata fuit noctu, ſine ullâ quidem moleſtiâ, mane ſequente propinetur.

(8.) Clyſteres verò, decocta & infuſa nullo modo ingreditur, neque enim ſolvi poteſt, liquore ſcilicet aqueo; pro liquidâ tamen formâ ▽i ſolutum ad ℈ß vel g̃xij purgans conſtituit

ſatis

ſatis jucundum & efficax, modò corpus non ſit calidius & ſiccius.

E Compositis ſelectiora ſunt *ſpecies diagalapii Mynſichti, pulvis laxativus vegetabilis Rolſincianus, pulvis catholicus, pulvis Comitis de Warwick*, maximi uſus in febribus, cujus baſis eſt ſcammonium: *extractum panchymagogum Crollii, catholicum Andernaci, pilulæ* ♀ *rea Schröderi, Quercetani, Bontii, & extracta* ℞ *il. cochiarum*, &c. verbo, ex his ſelectioribus, & adſcitis in conſilium medii ordinis, infinita fieri poſſunt compoſita ποικιλοχυμαγωγά. Rarius uſualia ſunt *ſpec. cholagoga, phlegmagoga Q. pulvis paſſavant.* &c.

Lib. II. Sect. I. Caput VI.

De purgantibus aliis.

Ut verò in ordinem quaſi redeamus, ex dictis hactenùs & præſuppoſitis, à purgantibus educi maximè bilem, ſerum, & feces alvi, concludimus:

1. *Quæcunque purgantia magis ſunt reſolubilia*, ſeu, reſinam habent reſolubiliorem, *magis purgant ſerum*, (citra alium ſcilicet reſpectum quo nonnulla poſſunt etiam hepar reſpicere, & bilem, ut aloe, rhabarbarum) exemplo elaterii, gummi guttæ, agarici, mechoacannæ, eſulæ.

2 *Quæcunque verò minùs ſunt reſolubilia*, ſeu reſinam ſulphuream habent minùs reſolubilem, *illa bilem magis purgant*, ut ſcammonium, reſina gialapii, & ſimilia.

3. *Quæ* verò *medio modo ſe habent*, ut inprimis ſena, rhabarbarum, & gialapium in ſubſtantiâ, *& bilem & ſeroſos humores educunt*, ſuntque magis panchymagoga.

4. *Quæ leniter id exſequuntur, & irritant, feces potiſſimùm educunt*, ſive id fiat emolliendo, ut pruna, ſive abſtergendo, ſive aliis modis, ut ſuprà jam diximus.

Tangemus illuſtrationis horum gratiâ & *alia* quædam, quæ, licet propriè purgantia non audiant, talia tamen ſunt, idque effectu modò univoco, modò æquivoco.

Ad priorem claſſem ſpectant *acidulæ* & *thermæ*, quæ omnes humores

humores purgant ob ſalia ſulphurea varia mixta, quæ vehunt, inprimis vitriolata, ſulphurea, aluminoſa, unde ab horum uſu & elutriantur inteſtina ob copiam liquoris aſſumti, & ſimul evacuantur à ſtimulo illo, quem vehunt ſecum ſolutum, ſalinum quidem principaliter, ſulphur verò ſub horum particulis detentum: uti notum eſt, occultari lubenter ſulphura à ſalibus.

Sic & *acidulæ artificiales*, ſeu *clyſſus* ♁nii *ratus* alvum ducit, & ſimul, ut & ipſæ acidulæ naturales, urinam pellit, hinc in praxi totâ die obſervamus, potui febricitantium inditum clyſſum hunc alvum apertam tenere, ut hoc modo & largior paullò aſſumtus iisdem non noceat: imò & per ſe datum obſervavimus purgâſſe alvum ſatis conſpicuè.

Faciunt huc & *nitroſa* pleraque. Sic à ⦶o ♁*iato* idem contingit. Sic aliquoties ab *arcano duplicato Mynſichti* notavimus ægros purgatos, non aliter ac ſi purgans aſſumſiſſent, ob deterſionem & ſtimulationem ſalinam.

Eundem quoque effectum vidimus à datâ *cinnabari nativâ*, quæ uti per aliquot continuos dies ſalivationem excitare quoque ſolet, quod ipſum quoque inter analecta noſtra practica notavimus, ita & quandoque purgat. Dabam eandem aliquando anui ad ℈ß pro doſi, quæ laborabat ſuſurris aurium, cum dolore capitis & vertigine, inde verò fortiter purgata referebat quaſi de purgante aſſumto, quàm benè id operatum fuerit, & morbum omnem ſuſtulerit: eſt enim & in hâc ſal mercuriale ſulphureum, quod, ut alia taceamus, ex eo quoque patet, ſi nempe cinnabaris nativa pulveriſata elutriatur aquâ ſimplici, ſchlemmen vocant, illa ipſa aqua, licet ſtet diutiùs ſuper cinnabarin, non facilè corrumpitur, quin per aliquot menſium ſpatium aſſervatam vidimus incorruptam.

Sunt verò ex recentioribus, quod horum mentione jam memoriam ſubit, qui purgantia ob acidum agere ſtatuunt, cùm ipſa ſint ſulphurea & reſinoſa: omne verò ſulphur ſit acidum. Verùm confundere videntur & rem, & principiorum chimicorum affectiones, & ingenia, ut, quò ſe vertant, neſciant: nos verò, cùm de eo ſatis jam dixerimus, ea non latiùs tangemus.

Per accidens purgatio fit ſæpenumerò à *reſolventibus*. Sic à

pulvere

pulvere abſorbente noſtro ſæpiſſimè & vomitus præſentaneo cum effectu contingentes: ſic à *pulvere pleuritico* in quatuor diverſis ægris vidimus alvi fluxum purulentum. Sic in caſu ab alto ab iisdem reſolventibus id videre contigit. Nimirùm Archæus, adjutus à medicamento, ſæpe ſtimulum materiæ morbificæ in bonum finem convertit, & educit robore quodam noxia, hoc ipſo ſatis monſtrans, ipſum actuare medicamenta, & in uſum ſuum applicare, ut conformia fiant ſuæ potius intentioni ſæpe, quàm medici.

Tacemus, ab autoribus, in ſpecie *Höfero*, *Herc. med. lib. 8. cap. 4.* notatum, à *pulveribus bezoardicis* loco ſudoris alvum motam & irritatam.

Omittimus etiam venena, mercurium ſublimatum, arſenicum, purgare vel ad mortem usque, & alia edere corroſionis ſuæ indicia nocentiſſima.

Lib. II. Sect. I. Caput VII.

De vomitoriis.

Multum verò lucis etiam ex dictis ſibi mutuantur vomitoria, quæ ſcilicet ad eadem cõmodè applicari poſſunt. Utut enim vomitoria ſæpè ſaltim κάτω operentur, ſæpè ἄνω & κάτω ſimul, purgantia verò ſaltim κάτω frequenter, ſæpè etiam ἄνω & κάτω; attamen, cum ordinariè illa per os, hæc per alvum, vel ſaltim magis operentur, & frequentiùs, ad uſum practicum omninò etiam illa inter ſe ſunt diſtincta, ut alia ſint & dicantur vomitoria, alia purgantia.

Conveniunt ſcilicet inter ſe purgantia & emetica, *fine generali*, qui eſt, irritare naturam ad excretionem, humores vitioſos exturbandi, &, uno verbo, evacuandi: differunt *ſpeciali*, qui eſt, quòd proximiùs quaſi vomitoria ſtatim operationem ſuam exſequantur ſurſum; illa verò, ſeu purgantia, deorſum.

Adeoque partim *in ſe* habent differentiam, partim eam ſortiuntur à *ſubjecto*.

In ſe quidem id fit, tùm ob gradum diverſum, quatenùs non differunt, niſi gradu. Urget hoc inprimis *Walæus meth. med. p. 21.*

Digitized by Google

itaque majori doſi vomitum cieri, minori alvum duci, correctione etiam id limitari.

Aſt, ut verum fateamur, differentiam purgantium & vomitoriorum non exhaurit vel limitatio quantitatis, vel additio corrigentis. Nam ſic v. gr. ſcammonii ℈j fortius eſt pharmacum, quàm aſari ℈j, quàm ſeminis atriplicis ℈j, & tamen purgat potiùs: imò purgantia plurima fortiora hypercatharſin potiùs *κάτω*, quàm vomitum excitant, ut adeò propinquior quædam & magis ſpecifica differentia ſit inveſtiganda. Et ponamus, purgantia fortiora fieri & reddi emetica, nondum tamen in hoc ſolo acquieſcendum eſt.

Hinc ſi conſulamus rationem & experientiam, vomitoria magis operantur *ἄνω propter acrimoniam ſalino-ſulphuream volatiliorem*, quæ in purgantibus magis eſt fixa. Vomitoria, inquam, magis ob acrimoniam ſalinam volatilem ſtimulantem, vel explicitam vel implicitam, ventriculum ſubvertunt. Ita *aſarum, ſedum minimum, raphanus ruſticanus*, & ſimilia, ſunt emetica. Sic *tabaci fumus hauſtus*, ejusdêmque *infuſum* idem enormiter præſtant: imò novimus ab *illinitione* ſolâ *infuſi tabaci* in ſcabioſis copioſos fuiſſe natos vomitus.

Par aliorum eſt ratio, neque enim v. gr. quis objecerit ⊕lum, nam & hoc ipſum ſale & ſulphure volatili omninò gaudet, ſicut notum eſt, ⊕lum ♂tis ad ʒ.ij, iiij, ſi diſpoſitio ad vomitum adſit, vomitum ciere. Non tranſibimus ad ipſa antimoniata, de quibus paullò poſt, quæ volatilitatem ſimiliter, ſiqua alia, obtinent, igne facilè & aliis modis demonſtrabilem. Volatilitas nempe medicamenti irritantis in ſtomacho citiùs actuatur, unde fibræ & villi ſtomachi irritantur præſentius, & ad expulſionem ſolicitantur.

In *ſubjecto* hoc vel illo varietas itidem obſervanda eſt, prout humores ipſi, qui evacuandi, variant: ſi volatiles nempe & bilioſi ſint, *ἄνω* faciliùs educuntur à naturâ, quò verò illa aurigatur, illuc nolentibus volentibus nobis dirigenda eſt.

Non itaque agunt *qualitate ſpecifica*, ſeu peculiari quâdam proprietate aliâ, quàm diximus, non *averſione* & *nauſeâ*, & quòd os ventriculi ſuperius laxent, quod de pinguibus & pulpoſis

quibus-

quibusdam verum eſt; ſed irritatione ob acrimoniam ſalino-ſulphuream volatiliorem: *non ſola fortiori irritatione* & ſtimulo; ſed ob majorem volatilitatem.

Fortiùs verò, ſeu majori cum virtute & evidentiori ac majori violentiâ operantur & agunt, quia magis eſt contra naturam vomitus, quàm purgatio, nec id unquam citra irritationem talismodi contingit, unde quibus cruſtæ villoſæ magis teneræ, & nudatæ quaſi, laxioresque, faciliùs irritantur atque commoventur.

Magis ſcilicet ſunt catholica emetica, & quaſi vectibus extrudunt è ventriculo & corpore ipſò conſecutione quâdam materiam vitioſam, penitiùs evellunt etiam id, quod purgantia relinquunt intactum, unde in heroicis morbis & quaſi Herculeis opem apprimè ferre obſervantur.

Evacuant verò tum ſaburram in ventriculo reſtagnantem, quæ ſæpe quaſi incruſtatur ejus tunicis, tùm contenta alia quæcunque reperiunt, ejecta hoc modo à ventriculo; tum inprimis bilem & ſerum, illam enim & ſuccum pancreaticum, paullò fortiora præſertim, in ventriculum vocant, unde licet ipſa jam fuerint ejecta, *à bile* novas irritandi vires acquirunt, ut ſæpe hypercatharſis hâc de cauſâ oriatur.

Hinc videmus, v. gr. ab emeticis antimoniatis, ferè uniformem communiter ejici materiam, quæ an à medicamento ita fuerit corrupta, an verò in corpore ita genita, dubium eſt apud practicos non leve: cui dirimendo dicimus, medicamentum ipſum quidem irritare fibras, turbare, fundere & liquare humores; aſt id potiſſimùm & quaſi unicè à bile arceſſendum eſt, quæ, uti ſulphure pollet copioſo, unde, ſi exſiccetur, & abſumatur phlegmatica humiditas, ardet, & φλογιςὴ evadit: ita varias & quaſi infinitas mutationes ſubire, & id omne præſtare poteſt. Unde medicamentum quidem tale naturæ non eſt amicum; ſed peregrinum, unde etiam non aſſumitur, non aſſimilatur; attamen venenosâ propriè qualitate non gaudet.

Habent tamen & illa ſuos gradus: unde in *mitia* & *fortia* dividuntur, & δiata inprimis, doſi majori exhibita fortiùs, minori debiliùs & mitiùs operantur.

Notamus tamen, lenia illa, vulgò adducta movere, non promovere, & ad naturam reliquorum adjuvandam potiùs poſſe uſurpari, quàm per ſe; ſeu propriè hæc planè non ſunt vomitoria, ſed juſcula pinguia vehiculi loco eſſe queunt omninò. Unde & in his diſſeremus, quænam ſint non uſitata, quæ rarò, quæ verè ſelecta.

Non Usitata ſunt

1. *aqua tepida ἀμυσὶ* hauſta, utut enim tepida debeant eſſe emeticorum vehicula, utpotè quæ nauſeam creant; attamen ex his medicamentũ ipſum velle exſpectare fruſtra eſt: unde multò minùs aqua tepida è veſicâ furnariâ hauſta hunc in cenſum venit.

2. *Hydrelæum*, 3. *hydromel* nunquam hodiè pro hoc fine præſcribuntur.

3. *Radix* & 4. *ſemen atriplicis*, 5. *melonum*, 6. *peponum*, 7. *cucumerum*, 8. *betonicæ*, & 9. *bulbi narciſſi* exoleta ſunt; licèt ſemen atriplicis in decoctis quidam adhuc velint uſurpare. 10. Ficus recentes comeſtæ, aquâ tepidâ deſuper hauſtâ, Æſopicum ſunt vomitorium, in uſum verò hodie non trahitur. 11. *Raphanus* quoad *ſuccum, ſemen* & *corticem* nauſeam quidem & ructus movet; aſt nemo illa hodiè præſcribit. 12. *Juglandis arbor*, *cortex* & *radix* vitriolatam quidem poſſident virtutem, & ſtimulantem, unde radix juglandis loco peſſi ad fœtum mortuum educendum commendatur à *Fontano*; aſt nôſſe ſolùm id expedit, non uſurpare. Nec juli nucum juglandium ampliùs æſtimantur hodiè, quos ad ſuffocationem uterinam *Muffetus*, (ut ☉lata omnia conveniunt,) alii ad choleram commendant. 13. *Succus corticis ſambuci* nunquam uſurpatur, neque *mdicis* ipſius, quem *Mindererius* ipſo antimonio vehementiorem aſſerit. 14. *Summitates ſambuci recentes* vulgo relinquendum ſunt acetarium, ſolent enim primo vere turiones hos cum aceto & oleo apparare & comedere, fortiterque inde purgari; imò ſunt & ex medicis, qui putant, prout decerpantur hi ipſi turiones, ita etiam purgare, ſi ἄνω, verſus cœlum evellantur, per vomitum; ſin κάτω, terram verſus, per alvum. Aſt, ut, quid de hoc ipſo ſentiam, dicam, certum eſt, ſambucum gaudere ſulphure quodam nauſeabundo, vitriolico, ingrato, unde tùm purgat, tùm vomitum movet, quoad ſuccum

cum & alia; aſt, quòd modò *ἄνω*, modò *κάτω* operetur, id ſanè non tàm modo decerpendi, quàm diſpoſitioni ſubjecti & humorum adſcribendum eſſe puto, præcipuè cùm ſæpiùs viderim à dato emetico διατο nullum vomitum, plurimas verò ſedes ſecutas. 15. *Oleum ebuli* & *ſambuci* acillorum viride licet ad philtra plures commendent, hodiè tamen magis inter traumatica, & v. gr. ad balſamum 🜍ris ſambucinum ad extra, quàm emetica, uſurpatur. Doſis etiam ad ʒß nimis eſt exigua. Par eſt ratio 16. *foliorum* & *florum ebuli*. 17. *Cataputia* quoad *ſemen* & *radicem*, ut & 18. *helleborus albus* exſulant omninò ex uſu practico emeticorum. 19. *Decoctum hyſſopi*, 20. *folia gratiolæ* numerum potiùs augent, quàm virtutem, adeoque cum aliis deturbanda ex ſede. 21. *Flores geniſtæ*, & *ſemen*, ſunt qui in emulſiones recipiunt, aſt & eo carere poſſumus commodè. 22. Sic & *anagyris*, 23. *coccognidium*, 24. *ricinus*, 25. *eruca* hunc cenſum ſubeunt. 26. *Cyclamen* nunquam quis etiam ad vomitum ciendum hodiè præſcripſerit, neque enim vires has commodè exſequitur. Nec 27. *Nicotiana* vomendi gratiâ aſſumitur, niſi quod riſui exponat, qui fumum intra corpus hauriunt. Nec ſirupus de peto tanti eſt, ut eo carere non poſſimus, licet in quibusdam officinis adhuc adſervetur. 29. *Ungues humanos* ab *Heerio* commendatos quis vomitorii loco adhibuerit? & puto, magis nauſeâ, quàm peculiari vomendi qualitate ramenta eorum effectû hunc conſecuta. Nec 29. *nux vomica*, nec 30. *coagulum caſei* claſſem hanc ingredi merentur, nec 31. *bryonia*, licet, præſertim recens, ſatis viroſum ac nauſeabundum ſaporem de ſe exhibeat.

Cumque vomitoria alia ſint *Galenica*, alia *chimica*, nec inter hæc omnia æquè uſitata ſunt, verbi gr. *☿ialia*, ut *flores ☿rii argentei*, *azoth*, *☿vitæ*, *turpethum minerale*, aliaque ſimilia, quæ uſum quidem ſuum habent non vilipendendum; attamen vomendi ſcopo deſiére ferè hodiè propinari. Nec *aurum vitæ Kegleri* ad philtra tantoperè dilaudatum gloriâ ſuâ pollet ampliùs.

Quin in genere omnia illa minùs ſunt uſitata, neque temerè propinanda, quæ vel 1. *valdè laxant & debilitant ventriculum*, ut olea & pinguia amyſtide ſumta; modicè verò adhibita non nocent, & vehiculi loco inſervire queunt; 2. *quæ majorem vehementiam*

mentiam important, quàm pro ratione vomitoriorum requiritur, ut helleborata & alia recenſita. 3. *Quæ vomitum quidem movent; attamen vomitoria non ſunt*, & corpori, nervoſoque generi minùs ſunt amica, ut ☿alia & ſimilia.

LIB. II. SECT. I. CAPUT VIII.

De vomitoriis rarius uſitatis & ſelectis.

VOmitoria MEDIA, quæ RARIUS USITATA, ſunt 1. *aſarum*, idque (1.) magis in infuſo, unde mitius evadit; in decocto verò vis illa volatilis magis corrigitur & abigitur, unde vomitorium magis eſſe deſinit, & alterans evadit, niſi levis illa ſit decoctio.

(2.) Magis in radice, quàm foliis datur, illam quippe mitiorem deprehendimus, hæc verò paullò vehementiora ſunt, unde ruſtica eſt medicina. Moriebatur hypercatharſi ante paucos annos hîc loci civis robuſtus aliàs, qui cochlear unum foliorum aſari pulveriſatorum aſſumpſerat, fruſtrà à medico datis antidotis.

(3.) Coagulum aſari, ſeu extractum, mitius eſt, neque illi ſoli tutò fidi poteſt, ut effectum optatum præſtet, unde ad ℈ß dari poteſt per ſe, vel in pilulis excipientis vice fungi.

(4.) Electuarium diaſari Fernelii ad ʒij vel ℥ß in bolo commodè ſumi poteſt. Aſarina verò hæc emetica omnia præcipuè conveniunt, ubi cruditas pituitoſa in ventriculo, primis viis & vaſis penitiùs inſedit, ut quartanâ, quotidianâ, &c.

2. *Gummi gutta* ad g.iiij vel v, illo caſu potiſſimùm in uſum cedit, ubi præter purgandi ſcopum unum vel alterum vomitum movere eſt intentio. Exempla compoſitorum ex hoc vomitoriorum vide apud *Lotichium l. de febribus*.

3. *Oxymel ſquilliticum ſimplex, helleboratum*, &c. in affectibus aſthmaticis, &, ut inciſione ſuâ ac attenuatione pituitoſos humores inciden do reliquorum actionem juvet, commodè uſurpari

pari poteſt, v. gr. in potionibus vomitoriis: per ſe verò minùs cenſum hunc ſubit.

Par ratio eſt 4. *oxyſacchari emetici Ang. Sala*, quod quidem, ſi eo modo, ut *Dn. Ludovici* noſter tradit, præparetur, eximiè convenit; attamen rariùs paullò in uſu eſt.

5. *⊕lum* mira experitur fata, laudatur ab his, culpatur ab illis. Nos de eo jam, quantum in praxi obtinet, & experientiâ comprobatum tenemus, dicturi ſumus.

(1.) In ſubſtantiâ ⊕lum non datur, præterquàm ⊕lum ♂tis, quod inter leniſſima vomitoria numerari poteſt, & obſervavi ſæpiſſimè, in lipothymiis præcordialibus, & ubi natura ipſa vel reſolvere, vel ejicere materiam peccantem poteſt, optimè munus hoc ſuum exſequi, ſaltim ad ℥j vel ij propinatum. Certo certius eſt, ſi pronitas ad vomendum ſe offerat, in anxietate ejusmodi, pallore, & debilitate, omnium optimè prodeſſe, qualis eſt *pulvis noſter abſorbens*. Sin minùs, edulcando tamen humores & reſolvendo prodeſt, quod in ventriculi doloribus vel centies experti ſumus.

Hinc & valdè apud me dubium eſt, an juxta *Waleum* ☿ius vitæ cum cryſtallis his, ſeu ⊕lo, propinatus tantùm per inferiora purget, cùm ipſum quoque per ſe vomitum cieat, neque enim id experientiâ deprehendere licuit; quin datum hoc modo à nobis mixtum emeticum, ſuo more, id eſt, *ἄνω*, fortiter operatum fuit.

(2.) *Gilla ⊕li*, ſeu *⊕lum album depuratum*, in uſum vocari ferè deſiit, & inter ⊕lata ferè minùs ampliùs uſitata eſt.

(3.) ⊖ *⊕li*, mannæ vomitoriorum titulum, ob mitem agendi operationem, indeptum, ab *Ang. Salâ* mirum quantum laudatur, qui inter chimicos mentiri juxta *Conringium* deſiit, item à *B. Langio Lipſienſi* emeticorum manna & alpha vocatur, qui in peculiari quaſi capite in laudes ejusdem abundè provehitur, & continuò ſe in ſacciperio id geſtâſſe ſcribit, *miſcell. cur. med. pag. 13.* Duo hi ſint inſtar omnium, &, ut noſtram interponamus experientiam, ⊖ ipſum ⊕li rectè præparatum tàm violentum remedium non eſt. Notandum verò de eodem, primò, quod vitriolata quidem emetica ſapore ingrato venereo, fauces quaſi conſtringente, polleant, quo vel ſolo nomine,

præſer-

præſertim cùm diffuſioris paullò ſint ponderis, minorem obtinere poſſunt gratiam.

Deinde potiſſimùm tamen eo caſu, ubi ventriculi parietes laxiores ſunt, apprimè conveniunt.

Porrò in affectibus quoque capitis, ob ſulphur anodynum blandum, eò evibratum, commendantur, de quo inprimis *Langius* ipſe l. c. videri poteſt.

Denique in ventriculo ſal 🜖li iterùm vitrioleſcere & recorporeſieri poſſe, non crediderim. Utut enim, quod experimentum apud *Williſium* occurrit, ſi omnia à 🜖lo deſtillata & per ignem proiecta, phlegma roridum, ſpiritus, oleum & 🜔 ſibi reddantur & conjungantur, id manifeſtè fiat; attamen in ventriculo hæc reſtitutio in integrum, ob præviam immutationem, vix ſperanda eſt. Neque obſtat, quod objici ſolet, attrahere 🜔 🜖li ab aere iterum ſpiritum & vitrioleſcere, nam neque aer in ventriculum fertur, niſi cum cibis, neque, qui illuc fertur, tantum poteſtatis habet; neque 🜔 ipſum 🜖li attrahit ſpiritum, & hunc quaſi regeneratum exhibet; ſed colcothar 🜖li, idque longè aliâ ratione, ut experimentis abundè demonſtrari poteſt. Si enim noverimus, igne mediante concidere & concentrari vitriolatas ſalinas partes; ſi noverimus, ſpiritum 🜖li nihil aliud eſſe, quàm ſal acidum fluorem adeptum, mediante phlegmate quantillo etiam protruſum, & tamdiu ſpiritum prodire, quamdiu vel atomus humoris, tanquam vehiculum, in eo exſtat, ut tandem etiam oleum acerrimum prodeat, facile eſt colligere, ſpiritum 🜖li regeneratum non aliunde eſſe arceſſendum ex aere; ſed ipſum in ipſisſimo 🜔 latitâſſe, aerem verò laxiores ſolùm poros reddere, & atomis aqueis junctis & communicatis, ipſas partes ſalinas, quæ cum terreis intimè ſunt compactæ, aptas denuò reddere, ut igne ſubdito, quod reliquum eſt, poſſit ſub formâ ſpiritus elici.

Ut hæc itaque concludamus, certum eſt, mannam ſeu 🜔 🜖li tutò uſurpari, aſt partim, quia paullò ingratius eſt antimoniatis, partim, quia non tàm promtè vim ſuam exſequitur, nec cum tantâ ἐνεργείᾳ, minùs præ illis hodiè æſtimari, præterquam in certis caſibus, modò ipſum hoc probè ſit præparatum, in quo chimici magiſterium non ineptè ponunt.

6. ♀ri

Digitized by Google

6. ♀ur ♁nii & 7. *ejuſd. flores* huc quoque referemus, quorum illud debiliùs, & incerto cum effectu; hi vehementiùs operantur, unde inter ſelecta referri minùs merentur: ſed de his jam.

Reſtant Usitata Et Selecta, plura quidem, ſi variationem ſpectemus; omnia tamen ex unico ſaltim fonte propullulantia, nempe ♁iata.

Antimonium crudum in ſubſtantiâ, cùm expanſæ in eo non ſint partes ſulphureæ & ſalinæ, ad vomitum movendum, ut modò dictum, non uſurpatur; ſimul ac verò ſive per ſe, ſolo igne, ſive acceſſu ſalium explicetur, vehementiſſimum evadit emeticũ.

Diſtinguemus nos *♁iata vomitoria*, in *crudiora* & *correctiora*: illa ſunt tùm mitiora jam memorata, *ſulphur*, & *flores*, tùm vehementiſſima, *vitrum* & *crocus*.

In ſubſtantiâ & per ſe hæc exhibere nunquam uſitatum eſt, & religio debet eſſe medico, ob ſummam violentiam & periculum, quo ad mortem usque purgare conſueverunt: adeoque, licet exempla talia ſeu formulæ apud *B. Rolfincium, ord. & meth. comment. Williſium pharmaceut. rat.* &c. occurrant, omitti conſultius eſt. Neque ipſum *vitrum ♁ii ⊖latum*, quod quidam cum ſucco ⊖li deſuperfuſo aliquoties & exſiccato corrigunt, proſtantibus melioribus, has laudes ſubit.

Corriguntur ergo & mitiora redduntur

1. *infuſione*, inexhauſtæ enim ſunt virtutis, idque tùm in aqueis, quæ debiliter ſaltim extrahunt, tum cum acidulis, ut vino, quod melius, unde in uſu eſt

▽ *benedicta Rulandi*, cujus variæ circumferuntur deſcriptiones, aliis ex vitro, aliis ex croco factam aſſerentibus. Optima verò eſt ipſius autoris *cent. 5. obſerv. 95.* Recipit enim crocum metallorum à lentis magnitudine ad piſi quantitatem, aquæ, vini, cerevifiæ, mulſæ vel liquoris morbo convenientis q. ſ. maceratur per noctem, vel urgente neceſſitate ebulliat. Doſis colaturæ ab ℥ß ad ij.

Notandum verò hoc loco: (1.) *crocum metallorum*, (quod & de aliis omnibus emeticis antimonialibus intellectum volumus: ita enim adhiberi etiam poteſt eum in finem vitrum, & quidem per ſe factum citra borracem,) hîc non ſumendum eum, qui cum ☿ri additione fit; ſed ſolo cum ⊖o ana, ſive ſimultaneâ in mor-

X tario,

tario,additâ prunâ,ſive ſucceſſivâ detonatione,qui cum vitro ♁ii coincidit,imò plurimi ita,cum additione punicei,vocant,unde& eum in finem vitrum ♁ii per ſe factum adhiberi poteſt:alter verò pigrior eſt,& ad hos uſus minùs; ad collyria verò magis uſitatus.

(2.) Non præſcribenda eſt aqua benedicta à medico, niſi nôrit, quomodo in officinâ ſuâ præparetur, & compoſita ſit.

(3.) Infuſa omnia priùs ſunt filtranda ad evitandam noxam.

Aſt hæc præparatio & correctio ſimplicior adhuc & paullò crudior eſt; unde porrò hæc peragitur

2. *Præcipitatione cum ſalibus*,qualis eſt ☿*ius vitæ*, vulgò ita dictus, cum tamen nil planè de ☿io reſipiat,commodum ſatis vomitoriũ, eſtq; nihil aliud,quam flores ſeu ♁ tatum potiùs ♁ii ſolutum cum ſalibus & devoratum,hinc aquâ ſimplici liberatum&edulcatum.

Notandum ſolùm doſi non excedendum eſſe,neque enim ultra ℈ iij. niſi urgente neceſſitate,dandus.

Pertinet huc ☿ *vitæ tinctus*, ſeu *roſa vitæ mineralis*. Videatur *B. Rolf. in chimia*.

3. *Impregnatione cum* ♀ *ro*,quæ correctio omnium eſt optima & tutiſſima, quatenùs nempe citra ⊖ abſinthii ritè paratus crocus metallorum, vel loco ejus etiam flores,item vitrum ♁ii,cum cryſtallis ♀ri coquuntur, filtrantur, & cryſtalli inde emergentes propinantur ad g.j. ij,iij,&hoc apud ſelectiores practicos & chimicos hodiè optimum & uſitatum eſt vomitorium, quod nunquam nos fefellit,modò rectè præparetur, in quo artificium non leve hæret. Sic enim acciditur quaſi vehementia,& virtus ſaltim recluſa & cum ♀ro conjuncta obtinetur quaſi in compendio, unde & infantibus eundem tutiſſimè ſæpe adhibuimus.

Ex hoc deinde omnis generis alia confieri & confici queunt, pilulæ, pulveres, & nihil non.

Referendũ huc quoq; *oxyſaccharũ emeticum A. Salæ*,de quo ſuprà.

Coronidis loco notamus tàm de emeticis, quàm purgantibus: 1.Non danda minori doſi,turpe enim, non operari;nec majori, 2. noxa n. vomitoriorum uti non timenda, ita nec negligenda.

De adhibendi verò modo purgantiũ & vomitoriorum cum ſuo loco pluribus dixerimus,illa aliunde huc referre licebit, ut enim illa *S. herbu* huc mutuemur,parum refert, ſeu in cellâ ſubterraneâ,ſeu in ſupremâ contignatione ſit panis,modò ſciat prom⁹, unde illum accipere debeat.

LIB. II.

Digitized by Google

LIBRI SECUNDI SECTIO SECUNDA.

CAPUT PRIMUM,

De alexipharmacis.

ALEXIPHARMACA, generali vocabuli acceptione ſunt, quæ venenis ſunt adverſa, & malignitati. Licet verò quidam *alexiteria* morſibus animalium venenatorum; *Alexipharmaca* verò medicamentis venenatis & deleteriis propriè competere ſtatuant; attamen promiſcuo ferè uſu hodiè pro ſynonymis accipiuntur. Specioſè etiam dicuntur *bezoardica*, à lapide bezoar, adeò ut nomen hoc etiam medicamentis tribuatur, quæ nullo modo lapidem bezoar recipiunt, ſolummodò ob virtutem, quam poſſident. Dicuntur item *antidoti*, licet hoc vocabulum ſpecialioribus alexipharmacis magis conveniat.

Ut verò de modo horum agendi, methodo nobis hactenùs conſuetâ, dicamus præſupponimus,

1. *Venena impugnare violenter calidum innatum*, ſeu *ſeri & ſanguinis σύστασιν & intimam miſcelam.*

2. *Venena agere non tàm occultis, quàm*, reſpectu hujus hypotheſeos, *manifeſtis qualitatibus*, quatenùs reſolutionem ſanguinis magis vel minùs violentam important, pro agendi ἐνεργείας gradibus.

Hinc ut plurimi errores illati ſunt in forum medicum, non conſiderantibus penitiùs medicis, in quo veneni natura conſiſtat, & in eorum occultâ qualitate ſolâ acquieſcentibus; Ita etiam de activitate & virtute alexipharmacorum, quæ itidem occultiori vi agere hactenùs credita ſunt, unde tot elogia *lapidis bezoar* enata, ut omnium venenorum domitor fuerit creditus promiſcuè, &, qui has virtutes non poſſideat, non pro genuino;

 ſed

Digitized by Google

ſed falſo habendus ſit, ex quo ſanè nullum unquam verum exſtitiſſe convincere, facile eſt. Par ratio *unicornu veri*, &c.

Sunt verò *alexipharmaca*, ſive, termino hodiè uſitatiori, *bezoardica*,

1. Vel *putredini reſiſtentia, & ſulphur ſanguinis, ſeu partes ejusdem oleoſas ſartas tectas ſervantia*, ne vappeſcat, idque tùm *intendendo* & *vegetando*, & quidem magis volatiſia, uti ſunt *amara*, & *aromatica oleoſa*, *balſamica*, angelica, carlina, zedoaria, myrrha, opobalſamum, baccæ juniperi, & plura alia; *acria volatilia*, ſulphurea & ſalina, ut theriaca ruſticorum allium, camphora. &c. Pertinent huc & ipſe ⁓ C. C. eboris, oleum peſtilentiale Heniſii, &c. tùm *concentrando & penetrando* unà, *acida*, ſuccus citri, acetum, acetum bezoardicum. Et hæc præcipuè conveniunt in morbis epidemiis à penitiori putredine oriundis; fœtore v. gr. cadaverum, item febribus puerperarum, &c. ad præſervationem & curationem: item in morſu canis rabidi, araneorum.

2. Vel 2. *ichoreſcentiam, reſolutionem ac rareſactionem nimiam impedientia*, adeoque vinculum quaſi & individuam copulam, & conjunctionem ſeri & ſanguinis reſpicientia, ſive *adſtringentia auſteriuſcula*, uti eo nomine celebres ſunt tormentilla, biſtorta; quæ quidem, quibus alvus ſiccior eſt, minùs conveniunt: ſive *mucilaginoſa*, ut C. C. philoſ. gelatina ejusdem ſcorzonera, ejusque extractum, &c. item ex terreis terra ſigill. Lemnia, bolus Armena: ſive *terrea abſorbentia, & fermentum reſolutivum præcipitantia*, ut C. C. uſtum, unicornu foſſile, lapis bezoar or. & occid & bezoardica chimicorum, quæ certè non peculiari alexipharmacâ virtute; ſed abſorbendi & disjiciendi gaudent, unde iisdem non abſolutè ſemper fidendum eſt: *ſive acida*, ſulphur ſanguinis obtundentia, ut ⁓us acidi, clyſſus ♁ii ♀ratus, ⁓ ⊖ volat. ⁓ ⊖ & ⦶ compoſitus, &c. ſive *opiata*, quæ ſanè, præſertim cum aliis maritata, inter bezoardica numerari merentur, modò ritè & juſto tempore adhibeantur. Si enim quæ alia, certè opiata, vinculum & conſortium ſeri & ſanguinis conſervant illibatum, unde etiam theriaca ſine opio confecta, ſudorem non movet, nec exſpectationi ſatisfacit. Et hæc eximiè proſunt, & præter alia, in ſudore Anglico, dyſenteriâ malignâ epide-

epidemiâ, aliiſque malignis, ubi ardor major, & Veſuvianus calor microcoſmum affligit.

3. Vel *ſerum, ejusque & motum promoventia, & coagulationem & incoctionem*, ut ſic loquar, *impedientia*, qualia præter quædam ex ſuprà jam dictis ſunt tùm id *fluxile reddentia*, qualia ſunt *ſalina*, ſeu *nitroſa*, ſeu *volatilia* etiam *urinoſa*, & *☿rialia*, ut ♁ nativa, ♂ii, ☿ fixus diaphoreticus. Unde regulæ inſtar notandum eſt: In febribus malignis, ubicunque ſerum quaſi coagulatum eſt, & ſudor hinc nullus obtineri poteſt; ſed omnia quaſi uruntur, ♁ina, aliis prudenter maritata bezoardicis, ejus fluxilitatem maximè promovere; aſt ſi ad reſolutionem & ichoreſcentiam inclinet ſanguis, omninò devitanda eſſe, neque in ipſis tunc ſubſequentibus motibus convulſivis omninò tuta eſſe vel fida: ex quo ipſo etiam eximia horum agendi virtutis emergit differentia. Tùm *ſubſtantiâ ſeu quantitate augentia & reficientia, diluentiaq́ʒ*, ut ▽æ ♌tæ, decocta, potiones, infuſa, & inprimis emulſiones, quæ in malignis ad hunc quidem finem maximæ ſunt utilitatis. Niſi enim ſerum hoc reſtituatur, quod & poculo largiori, (modò ne quid nimis,) obtineri poteſt, fruſtrà omnia reliqua utplurimùm impenduntur, & inprimis ſomnus recuperari nequit; ſed ex pervigilio continuato deliria contumacia & motus adeò convulſivos naſci neceſſe eſt.

Conveniunt hæc tùm venenis in genere, ab extra propinatis, vel per errorem hauſtis & communicatis, cor muniendo, & ſanguinis tonum illibatum conſervando tùm in peſte, febribus malignis, & peſtilentialibus Hungaricis, petechialibus, febribus puerperarum, variolis & morbillis, ac ſimilibus contagioſis & mali moris affectibus.

Unde diſtinctio locum hîc obtinet, quòd *alia* alexipharmaca ſint *univerſalia & communia*, tanquam cauſæ univerſali, in quâ omnia venena coincidunt, reſiſtentia; *alia* verò antidota *particularia*, quæ huic vel illi veneno ſpeciatim adverſantur, de quibus etiam quædam dicenda veniunt.

Quoad Applicandi verò Modum & cautelas plura ſe offerunt monenda:

1. *Nullum eſt alexipharmacum, quod omnibus æquè venenis ex æſſe conveniat*, adeoque nulli plus eſt tribuendum, quàm

 reverà

reverà inde experientia teſtari poteſt. Sunt quidem polychreſta quaſi tria & generalia: in liquidâ formâ, *Tinctura bezoardica*, quâ hodiè gratioſus medicus carere vix poteſt: in mediâ *theriaca*, *mithridatium*, quò & *electuaria* ſimilia, ut *Orvietanum*, &c. referenda, ſunt medicamentum antiquiſſimum & per tot ſecula probatum, adeoque, licet inconcinnâ variorum ingredientium congerie conflatum, non temerè rejiciendum: in ſolidâ *pulveres bezoardici*. Aſt magnâ tamen egent adhibendi providentiâ.

2. *Promiſcuus uſus non convenit*, unde diſtinctio ratione virium maximè eſt neceſſaria, in volatilia, media & fixa. Prudenter hinc *in epiſt. Cratonis 248. pag. 462. Weiſelius* talismodi pharmaca in duplicem claſſem diſtinxit, *abſorbentium* nimirum, *καὶ ἰδρωτικῶν* & *ſudoriferorum* propriè dictorum, quod niſi fiat, *rectè addit*, multiplex oriri ſolet ambiguitas & controverſia, imò hoc pacto plusquam empirica fit applicatio.

3. *In principio magis volatilibus opus*, ad penetrationem majorem & diſcuſſionem citiorem, item ubi intimior malignitas, ubi natura ab expulſione v. gr. petechiarum, variolarum, morbillorum, ceſſat, vel hæc exanthemata retrocedere videntur, cum reſpiratione difficili, præcordiorum anxietate, &c. *in progreſſu magis fixis*, ubi nempè alteratione & præcipitatione magis opus; magis circa ſtatum & declinationem, conquieſcente jam tumultu; utraque pro medici prudentis ϛοχασμῷ ſeligenda & uſurpanda. Aquoſa medio modo ſe habent, & utrisque conjungi poſſunt.

4. *Gravidis, infantibus & debilibus, & ubi ad ichoreſcentiam inclinat magis ſanguis, temperatiora & mitiora magis conveniunt.* Unde, quibus theriaca non convenit, electuarium diaſcord. Fracaſt. tanquam temperatius magis locum habet: ubi Ræ bezoardicæ locus non eſt, licet mitigari queat, ibi pulvis bezoardicus detur. Si enim his nimis volatilia dentur, ſanguinis rarefactio magis intenditur, & hinc facilè noxæ aliæ largo modio conſurgunt.

5. *Non ſolo ſudore tollitur venenoſitas:* ſerum quippe non eſt nimis abſumendum. Unde nec ſola calida, nec ſola temperata, nec ſola ſudatio à quovis medicamento, ſufficiunt, in quo maximè errare ſolet tùm vulgus, qui pulvere cardui benedicti vel C.C.

omnia

omnia poſſe effici credit: tùm medici, qui continuis ſudoribus ægros fatigant: Omnia ſcilicet facienda ſunt ad naturæ ductum & indicationes.

6. *Serpentinis, viperinis, lapidi bezoar, unicornu vero, &c. non nimis fidendum.* ☉ enim viperarum quidem inter volatilia laudem meretur eximiam, lapis bezoar & unicornu verum inter fixiora; aſt pulveri viperarum vix fidat medicus, neque in genere his ſolis credat ſe poſſe hydram hanc Lernæam, venenoſitatem puto, debellare.

7. *Suſpectis præſtat abſtinere, quàm uti, ſaltim non ſolis*, uti ſunt nux vomica, radix doronici, licet ad vertiginem ſit ſatis uſitata. Præſtat enim aliis ſelectis uti, quàm incerto mactari effectu, qui ſi malè cadat, medicamento adſcribi poteſt.

8. *Alexipharmaca ante initium ſomnum maturè propinata efficaciora*, imò hoc modo penitùs ſæpè morbum in primâ herbâ jugulant. quæ *Helmontii* eſt obſervatio, & experientiæ maximè conformis; hinc etiam iisdem non ſuperdormiendum, per ſomnum enim facilè irrepit venenum ad cor.

9. *Inprimis & cacochymicis corporibus volatilia minùs conveniunt*, unde etiam urgente uſu lenientia & balſamica evacuantia poſſunt interponi; quod ſi major ſit malignitas, cavendum eſt tamen, ne promiſcuè quibuſvis humores confundamus.

Lib. II. Sect. II. Caput II.

De Antidotis ſpecialibus.

Specialia venena pauca apud nos dantur, & vel ſunt morſus venenatorum animalium, araneorum, viperarum, canis rabidi &c. vel errore aut inſidiis aliorum hauſta ac propinata ex vegetabili, vel minerali claſſe.

In genere de his regula quaſi univerſalis notanda eſt: Ubicunque ſpeciale venenum incognitum eſt, ad antidota univerſalia confugiendum; ſin innoteſcat id ipſum, cuilibet, præter univerſalia, cor & calidum nativum roborantia, ſpecifica, id eſt, contraria appropriata, opponenda.

Dein-

Deinde etiam notandum, plurima mendacia hinc inde in libris de venenis contineri, & illa tum venena, tùm præſidia præſcribi, quæ nunquam vel viſa, vel uſitata, vel applicata fuerunt.

In ſpecie quod theſin illam attinet, *an quodlibet animal venenatum ſecum quaſi gerat antidotum, illiusque caro proprio morſui vel ictui adverſetur?* dicere malim, illam non eſſe κτ̃ παντός. Utut enim pinguedo viperarum, etiam noſtrâ experientiâ, mitiget à morſu inflictum vulnus, & ſcorpionum proprium ictum, non tamen æquè id ad omnia eſt extendendum. Non ſcilicet valet in contrarium, quod aliàs dicitur,

nil prodeſt, quod non lædere poſſit idem,

ut quodvis lædens etiam hoc modo prodeſſe queat. Unde, quod in ſpecie pulverem viperinum & ſerpentinum attinet, primò dicimus, ſerpentum morſus non eſſe adeò noxios, imò vix venenatos. Torpidum animal eſt ſerpens, &, modò quis id cordatiùs adoriri audeat, innoxiè poteſt tractari, contingi & necari, dentesque habet longè minores. Aſt vipera longè præſentiùs noxam ſuam in corpus vibrat, quatenùs dentes ejusdem quaſi falcati ſunt, quod in ſerpentibus minimè reperitur; unde & uncis hiſce vulnerando partes membranoſas præſertim & nervoſas, & quatenùs ſimul ſaliva bilis plena, ſeu ſale volatili acri imbuta inſeritur vulneri, unde fermentatio p. n. corruptiva exſurgit, agunt.

Deinde, quòd viperina vel ſerpentina caro venenum proprium expellat, illi ipſi hypotheſi non omninò & univerſaliter eſt fidendum, tùm in actu curationis, tùm præſervationis. Præſtat enim ſudoriferis & alexiteriis putredinale fermentum & humorum affluxum arcere, ne ob ſal volatile cauſticum cum membro & ſanguine communicatum pars ipſa ſphaceletur, & motus convulſivi exoriantur.

Nec ſolennis vulgi valet hypotheſis, aſſumto viperarum pulvere, vel ſerpentum, ob hanc ipſam ſolam antidotum innoxiè poſſe tractari ſerpentes. Tales enim hoc modo abſolutè fidentes præmium audaciæ, ſeu potiùs temeritatis ſubeunt, & carè ſatis hanc pœnam luunt. De hoc ipſo verò pulvere viperino uberiùs

Digitized by Google

uberiùs paulò agit *D.D.Zwelfferus claſſe 14. append. de ſale theriacali p. 275.* latiùs hoc ipſo loco videndus: ubi & de ἰδιοσυγκρασίᾳ quorundam, &, quod palmarium duco, audaciâ & prudentiâ callidè hæc animalcula tractandi, uberiùs diſquirit. Non omnis noxa hoc modo avertitur, neque tamen nullum penitùs auxilium inde ſperandum, quod tamen ſatis eſt exiguum, & magis ipſum fermentum corruptivum cum ſanguine communicandum, quàm vulnus, attinet, quod tamen non eſt negligendum. Novimus hinc, perſonas illuſtres, ob præſumtum pulverem viperinum ſecuros ſe putantes, hinc incurriſſe nihilominùs periculum, nec niſi aſſumto ſtatim bezoardico meliùs habuiſſe: ut adeò minùs hoc ſuccedat. Exemplum etiam videſis apud *Grülingium cent.* 1. *obſ* 1.

Adeoque utinam vana illa perſuaſio ceſſaret! ſæpè enim captores viperarum callentiores ſunt ipſis medicis, quos falsâ narratione decipiunt, & prudentiâ magis, quàm antidoto ſe muniunt. In noſtris etiam regionibus in ſpecie minùs ſunt venenata hæc ipſa animalcula, quàm in Hiſpaniâ, Italiâ, Galliâ, &c.

Quod verò reliqua venenorum genera inanimata, ut ſic loquar, attinet, potiora ſunt è vegetabilibus *napellus*, ſeu *thora*, cujus antidotus ſtatuitur *antinapellus* ſeu *anthora: cicuta, & hyoſcyamus*, qui cùm mucilaginoſitate ſuâ & ſulphure fœtido immaturo noxius ſit, aceto corrigitur.

Notabile eſt, quòd acida corrigant plurima vegetabilia venenoſa, *napellum*, *bellam donnam*, quæ præter alia ſymptomata fauces præcludit, ut deglutitio fieri nequeat, *helleborum*, &c. indicio manifeſto, eorundem noxam eſſe adſcribendam ſali volatili & ſulphuri immaturo, indigeſto, plurimâque mucagine inviſcato, unde cum ſanguine communicata, vel adhuc in ventriculo oberrantia, poros nervorum obſtruere, eosdem vellicare, ſanguinis κρᾶσιν deſtruere, & mortem ipſam inducere apta nata ſunt.

Præcipuè verò ☿*tus* & ∞*cum*, hisque confinia metallica, alia, ut *cobaltum*, &c. huc pertinent. Uti enim manifeſtâ planè, nempè corroſivâ agunt qualitate, ita *theriaca*, quæ propriè morſibus animalium venenatis dicata, & eo nomine inventa eſt, his

unicè vix profuerit. Sed antidoti vice funguntur tùm *obtundentia & demulcentia, pinguia*, butyrum, oo amygdal. dulc. &c. Hinc, qui in foro probant ☿ti vel ∞oti aſſumtione theriacam, butyro copioſo prius ſe præmuniunt: tùm *præcipitantia* ex cryſtallo montanâ & ſimilibus; quæ ipſa tamen ſaltim in leviori caſu prodeſſe poſſunt, nam, ſi majori doſi fuerint propinata, nec natura ipſa vomitu ſpontaneo ſe liberaverit, fruſtra ſunt. Neque enim proportio inter agens & patiens facilis hinc inveniri, neque à naturâ æquè actuari antidotus poteſt, ſi peſſundetur ſtatim ventriculus, ipſique eſchara lethalis & ſphacelus inducatur.

Aſſumta *ſaturnina*, ut globuli plumbei & ſimilia acidis exhibitis in ſaccharum quaſi fatiſcunt, & ſenſim corroduntur, ſicut hujus rei exempla varia *anno III ephem. Germ.* conſignavimus.

Reliqua antidota poſſunt legi apud autores qui de venenis vel ex profeſſo, vel aliàs ſcripſerunt; quæ tamen ſi ullibi, certè in hoc, alter ex altero transſcripſére, & venena, ſæpè planè incognita & inuſitata propoſuerunt, nec remedia à contrario ſemper deſumſerunt, occultum ipſis virus incertis remedius oppugnantes.

LIB. II. SECT. II. CAPUT III.

De diaphoreticis.

DIAPHORETICA ſub alexipharmacis plurima jam delibata ſunt, unde & breviores de iis erimus; attamen paullò latiùs patent, & merentur etiam ſeorſim paullò conſiderari.

Differunt inter ſe diaphoretica & ſudorifera gradibus, adeoque plurima ſunt *diaphoretica*, quæ ſcilicet per ἄδηλον διαπνοὴν ſaltim diſcutiunt halituoſa excrementa, eandemque transſpirationem promovent, & ſanguinem ventilant. *Sudorifera* verò, quæ & hoc ipſum præſtant, non tamen in eodem acquieſcunt; verùm etiam roſcido ſudore conſpicuum magis effectum relinquunt.

Quoad AGENDI MODUM, operantur eadem, quatenùs

tenùs fundunt ſanguinem, ac ſeri à ſanguine ſeceſſum procurant, ut halituum ſpecie per cutis poros expelli poſſit,

Tùm 1. *abſorbendo, & quod ſerum ligat & fixius reddit, reſolvendo*, uti ſunt *alcalina natura fixiora, terrea*, v.gr. ♁ diaphor. conchæ, C. C. uſtum, lapis bezoar, bolus Armena, bezoardicum minerale, ♂ale, &c. Hæc inſigniter fermentationem humorum præcipitant, Διαχώρησιν prohibent, & inſenſibilem transſpirationem liberam ſuique juris reddunt.

Tùm 2. *fluxile illud reddendo, ſive rarefaciendo, & fermentationem ſanguini novam inducendo:* ſic 1. *ſalia lixiva* & *nitroſa*, ⊖ abſinthii, card. ben. cent min. quæ & abſorbent, & ſimul fluxilitatem ſero fœnerant: ſic 2. *volatilia* quoque, ∽ C. C. viperarum, eboris, potentiſſimè ſudorem pellunt; ſive *halituoſum vehiculum & volatilitatem præbendo*, uti ſunt 1. *aquea*, ut ▽ ♌tæ variæ, & inprimis ſimul volatilitate quâdam gaudentia decocta, item 2. *ob aquoſam & gummoſam ſubſtantiam facilè reſolubilia*, ut rob ebuli, ſambuci, &c. præcipuè verò 3. *ſale volatili cum ſulphure penitiùs commixto pollentia, amaricantia, reſinoſa*, &c. ſic carduus benedictus, opium, camphora, lignum guajacum, & è compoſitis theriaca, Mithridatium, & reliqua ſuperiùs *claſſe primâ* recenſita, optima ſunt ſudorifera. Hæc torpidum ſeri motum promovent, & naturam hortantur, ut ſuperfluum diſcutiat, pori aperiantur, ac vigoretur maſſa ſanguinea.

Et hæc apprimè locum habent in ῥευματισμῷ ſeu influxu ſanguinis & ſeri quocunque, v gr. in inflammationibus pleuræ, fluxionibus articulorum &c unde conveniunt in pleuritide, quæ ſæpe uno quaſi eminentiori ſudorifero jugulatur ſtatim in principio; arthritide, quę omnium maximè juvatur iisdem ſudoribus; tumoribus inguinum, tonſillarum, axillarum & ſimilium, lipothymiâ, ſyncope, tùm ſolitariâ, tùm hyſtericâ, variolarum & aliorum exanthematum propulſione ceſſante, &c.

Tùm 3. *in coagulum abiens ſerum incidendo, & hoc ipſo quoque ſanguinis fermentationem promovendo.* Præſtant illud inprimis *acida*, & ſuo modo, diverſo ſcilicet reſpectu, *alcalina quoque*. Hinc *acetum* inter ſudorifera quoque, non minùs ac acida alia, referuntur meritò: obſervatio enim eſt non vilipendenda, acido-

rum acceſſione ſulphurea medicamenta longè præſentiùs agere, & ſudorem ciere magis, quàm ſibi relicta: exemplo ſit vel ſola *mixtum ſimplex*, nec enim ~us theriacalis per ſe, nec ~us ♀ri tàm promtè ſudorem movent, quàm hiſce maritatus ⊕li ~us utriusque activitatem mirum quantum juvat & promovet. Sic etiam R*æ bezoardicæ* citra ~us ⊖is vel alius acidi acceſſum minùs ſudoribus movendis aptæ ſunt.

Abiens verò in coagulum ſanguis, groſſus magis, viſcidus, craſſus & glutinoſus evadit, unde acida incoctionem hanc remorantur, ſulphurque domando, & rarefactionem, quantum in ipſis, impediendo, ſecretionem tunc humoris ſeroſi & ejusdem halituoſitatem hoc ipſo promovent.

Unde conveniunt *hæc* & *primæ claſſis diaphoretica*, pro diverſitate indicantium ſeligenda, in ipſis quoque febribus variis & omnis generis, intermittentibus & continuis: inprimis etiam in lue Venereâ, ſcorbuto, elephantiaſi, & ſimilibus, ubi ſanguis glutinoſior longè gravitatem membrorum & dolorem importat neceſſariò. Maximam quoque hæc ipſâ hâc claſſe contenta vim habent grumoſitatem ſanguinis tollendi: unde & *mixtum ſimplex* ipſa in palpitatione cordis non contemnendum habet uſum: item in ſcabie, & aliis plurimis malis. Uno verbo: in quibuſvis maſſæ ſanguineæ vitiis, à qualitate & motu vitioſis oriundis, exceſſibus, ebullitionibus, deſpumationibus, &c. diaphoretica ſunt inſtar omnium, fermentum reſtaurant & deprimunt.

Quoad APPLICANDI MODUM, utut plurima ex alibi dictis huc applicari queant & debeant; attamen, ut eò meliùs pateant omnia, ſeorſim quoque illis addemus quædam.

1. *Impellentia interna ſudoriſera opus habent impellentibus externis*, unde non ſatis eſt aſſumere diaphoreticum medicamentum quodcunque; ſed opus eſt ad minimum calore ambientis auctiori, & tecto corpore, ut & pori dilatentur magis, & humores fundantur. Hæc ipſa verò ſecundaria quaſi potiùs ſunt, internorum ἐνέργειαν in actum deducentia, unde

2. *Solis externis nunquam res abſolvitur*, niſi, ubi in ſpatiis intercutaneis materia magis hæret: eo enim caſu externa impellentia

lentia meliùs proficiunt. Sic etiam ubi tumor particularis membrum aliquod exercet & defatigat, eadem ex uſu ſunt. Pertinent huc thermæ, Laconicum, & alia balnea vaporaria, univerſalia, ſeu totius, & particularia, huic vel illi parti, v. gr. brachio, pedi, debita.

3. *Ubi expulſione opus, optima ſunt ſudorifera.* Ea enim non tantùm in abundantiâ & repletione humorum, ac ſanguinis impuritatibus valent; verùm etiam torpidos & quieſcentes humores agiles reddunt magis & vividos: inprimis verò ſeroſis humoribus reſolvendis, attenuandis & evacuandis per poros apta ſunt.

4. Unde, quod ſub alexipharmacis jam dictum fuit, *fixitas vel volatilitas medicamentorum, & ſtatus ſanguinis diverſus variat eorundem uſum.* Sunt, qui ſolo ♁io diaphoretico utuntur ſemper, ſunt, qui ſpiritum C. C. ad cœlum usque evehunt, ſunt, qui Râ bezoardicâ maximè camphoratâ ad quævis tantùm non abutuntur. Singuli hi peccant; inprimis verò poſteriores, nec enim camphorata omnes æquè ferrè poſſunt, ſaltim in tantâ doſi, unde ſanguis maximè rarefit. Camphora locum eximium habet in motus ſanguinis vigoratione promovendâ, non item, ubi nimis rarefactus eſt, & ebullit, unde vigiliæ, ſitis, calor major: unde præſtat minùs camphoratâ uti Râ bezoardicâ, vel ſaltim aliam quoque ad manum habere mitiorem.

5. *Ubicunque ergò reſolutio virium timetur, & freno potiùs eget ſanguis, quàm ſtimulo, temperatiora omne abſolvunt punctum, ac præferenda ſunt, & contrà.* Sic inprimis *Hoffmannus* obſervat, *lib. de febb.* in febre quâdam epidemiâ cum ſudore colliquativo conjunctâ bolum Armenam & terram ſigillatam unicè profuiſſe. Si verò quis eandem ad motum & fermentationem ſanguinis ciendam velit ſolam uſurpare, næ turpiter ſe dederit quàm maximè.

6. *Ubi præcipitatione magis opus, quàm diſcuſſione, minùs cogendi ſunt ad ſudorem ægrotantes: imò ſudor coactus nimis minùs prodeſt, etiam in continuis.* Hinc peccant illi enormiter in praxi, qui in tertianis, vel quartanis, vel intermittentibus uno verbo, dato pulvere febrifugo ante paroxyſmum ægrum continuò ad ſudandum impellunt, & tantùm non cogunt, unde phthiſeos metum & alia ſymptomata non levia aliquoties orta obſervavimus.

mus. Hinc in expellendis variolis, in febribus quoque malignis nunquam conſultum eſt, ad ſudandum ægros fortiùs impellere: ibi enim ſeri proportio nimis abſumitur, ſanguis ipſe ad ebullitionem magis cietur, & naturæ benè agentis conatus intempeſtivè præcipitatur; adeoque præſtat diaphoreſin continuare, & naturæ tempus concedere, quàm eandem peſſundare cogendo; præſtat eandem ſequi, ducere, non pellere. Quod non præſtat ſudor, id præſtat tenuis udor.

7. *Ubicunque ſerum deficit, minùs conveniunt; ſin nimis excedit, itidem minùs locum habent ſudoriſera.* Uti enim deficiens illud magis exhauriunt; ita ſuperfluum ſola ſuperare & evacuare nequeunt. Hinc v. gr. in maniacis & aliis etiam cholericis maximè valet regula jam data; hinc vel temperatiora eo caſu ſolùm ſeligenda, vel non ſine aqueis vehiculis, ſerum ſubſtantialiter augentibus, propinanda. Quod ipſum de ſiccioribus etiam valet in genere. Hinc in hydropicis magis proſunt diuretica & purgantia, quàm diaphoretica.

8. *In morbis pituitoſis, & ubi primæ viæ humoribus vitioſis abundant, iisq; quaſi impacti ſunt, minùs locum habent.* Hinc magis univerſalia quaſi ſunt purgantia & vomitoria, quibus præmiſſis & partibus potioribus ablatis craſſioribus & viſcoſis, à diaphoreticis hinc tenuius reſtitans commodiùs evacuatur. Hinc in febribus quidem omnibus eximiè proſunt diaphoretica; attamen in intermittentibus id ſedulò eſt obſervandum, præcipuè in quotidianâ. Hinc in ſcabie ipsâ quoque id notandum & in cachexiâ inprimis ſtant poſt principia, ne pituitam, ſeu ſerum coagulatum & craſſius magis coagulent, humores turbent, & impuritates ſanguinis, quas tollere debent, augeant magis.

Lib. II. Sect. II. Caput IV.

De carminativis.

Si è pathologicis in memoriam vocamus, & repetimus huc: quòd flatuum pater eſt calor reſpectivè debilis, mater humor aqueus, acidusve, frigidus & viſcidus, ſeu pituita, in vapores

vapores acta: ſi quoque reſpicimus materiam ipſam Carminativorum penitiùs, facile erit, modum eorundem agendi inveſtigare.

Dicuntur *carminativa* uſitatò, quod vapores quaſi carminent, & diſcutiant, item Φυσαγωγά. Conveniunt enim eatenùs multum admodùm cum diaphoreticis, quòd diſcutiant & reſolvant: unde plurima ſunt diaphoretica, quæ & carminativa exſiſtunt, ut carlina, zedoaria, ♁ diaphoreticum, &c. tantò excellentiora hinc, quod & reſolvant, & per ſudorem vel diaphoreſin diſpellant.

Suntque vel *halituoſa rarefacientia*, quæ λεπτομερείᾳ ſuâ, & attenuandi ſubtili ac volatili virtute pituitam, ſive inſipidam, ſive inprimis acidam, calefaciunt, & corrigunt, qualia inprimis ſunt tùm *volatilia oleoſa*, ſeu ſulphure balſamico, ſubtili, cum ſale volatili maritato, pollentia, quæ & calorem debilitatum ſibi reſtituunt, & halituoſâ ſuâ virtute undique penetrant, ac vaporoſitate hâc ſuâ ſubtili & volatili exploſionem generatorum vaporum craſſiorum adjuvant, v. gr. ſem. 4. carminativa, aromatica quævis, inprimis radix Zedoriæ & galangæ, & olea illorum Ωlata, oleum carmin. *Mynſichti*; tùm *volatilia acida*, ut ſp. ⦶, ſp. ⦶ dulcis, quem dolores colicos inſtar incantamenti ſuſtuliſſe, ex præſcripto *Crollii* obſervavimus aliquoties.

Hæc ipſa verò oleoſa volatilia, ſeu ſulphure volatili oleoſo conſpicua etiam ſunt paregorica, nervina & demulcentia: unde partium membranoſarum doloribus & tenſionibus à flatibus oriundis apprimè unà ſatisfaciunt.

Et hæc conveniunt egregiè tùm internè, tùm externè, in quampluribus affectibus, colicâ, vertigine, torminibus hyſtericis, & poſt partum; ubi ſpeciatim radix Zedoariæ & galangæ proſunt: flatibus uterinis, herniâ; ubi, experimento *Helmontii* & noſtro, ſemina quatuor calida majora carminativa laudatiſſima ſunt: tinnitu aurium, &c.

Vel *abſorbentia & temperantia*, quæ non ſolùm acidum exſuperans ſaturant, humores ipſos deſiccant, & inde exſurgentes vapores præcipitant; verùm etiam, ſi bilis rarefacta unà concurrat, eandem domant, & uno verbo, δυνάμεις has infringunt, &

& ſeminale flatuum fermentũ ac gas ſilveſtre exhalans coërcent; imò, ſi calor junctus ſit exceſſivus, adeoque φλόγωσις viſcerum, ut in hypochondriacis, conjuncta ſit, eandem quoque reſpiciunt. Talia ſunt tùm *præcipitantia terrea, & diaphoretica*, uti inprimis ♁ium diaphoreticum, conchæ præparatæ, lapides ♋ &c. tùm inprimis *ſalina, nitroſa, & alcalina* etiam, ⊕ ♁iatum, arcanum duplicatum, ♀ ⊕latus, ☉ fulminans; ℞a ♀ri, &c. imò referenda huc ſunt ipſa *acidula*, de quibus ſub priore claſſe diximus, ut clyſſus ♁ii &c.

Conveniunt hæc inprimis in colicâ bilioſâ, flatibus hypochondriacis, tympanitide, febribus, palpitatione cordis, vertigine & ſimilibus.

Notabile verò eſt, hæc quoque miſta poſſe dari, ubi & præcipitandum, & dolores ſiſtendi, ut in cardialgiâ inprimis, ubi ſæpiùs maximo cum ſucceſſu oleum caryophyllorum cum conchis præparatis, in formâ ſiccâ, cum eſſentiâ carminativâ & caſtorei in liquidâ &c. exhibuimus.

Vel *coctionem, & calorem, ac menſtruum ventriculi corruptum roborantia*, tùm *præcipitantia & incidentia*, ex radice ari, zingibere &c. tùm *aromatica* & balſamica alia, ad quemcunque exceſſum aptanda, de quibus jam ſuo loco ſeorſim actum fuit. Uti enim ſemper in flatibus ventriculus eſt reſpiciendus, iidemque ex ejusdem fruſtratâ actione ſolenniter oriuntur: ita hæc ipſa ſtomachica etiam inter carminativa meritò recenſentur. Proſuntque hæc in ſpecie in ructibus, ſingultibus, cardialgiâ, inflationibus poſt cibum, & aliis.

Quod ad Modum Applicandi carminativa hæc, ſeu, quæ propriè flatibus debentur, ſpectat,

1. *Non in quibusvis flatulentiis tenuiſſima & poteſtate calida volatiliora opponenda*, inprimis in hypochondriacis, ſeu, qui affectu φυσώδει, id eſt, flatulento laborant, quibus ſæpe & ut plurimùm temperatiora conveniunt, quæ φλόγωσιν viſcerum à ſalinis & nitro-ſulphureis particulis fotam temperant: unde hoc paſſu ipſa temperantia & refrigerantia quaſi flatuum debellationi debentur, quatenùs calidum innatum & hoc modo ſibi reſtituunt.

2. *Proportio ergo agendi, non minùs ac aliàs, in carminativis*

quoque

quoque eſt reſpicienda & attendenda, ut non opponamus calidiora & gradu eminentiora cum ardore ſeu æſtu conjunctis flatibus, nec viſcidis, craſſis, pituitoſis humoribus ſola temperatiora: ut in tenuibus flatibus & craſſis diverſitas ſervetur.

3. Hinc etiam *in doloribus flatulentis, v. gr. colicis, non ſtatim ab initio ad valida diſcutientia æquè eſt confugiendum*: variant quippe gradibus, quædam valentiora ſunt, quædam temperatiora. Uti enim juxta *Galenum l. 14. meth. med. c. 7.* indicatio comunis omnium inflationum eſt, ut, quod p. n. eſt, evacuetur: ita proxima eſt, ut, quod medicamentis diſcuti & diſſolvi poteſt, itidem fiat: id verò non æquè fieri ſemper poteſt, v. gr.

4. *non conveniunt* 1. *ſi copia adeſt materiæ*: tunc enim adhibita carminativa cùm non poſſint illam diſcutere, attenuant potiùs craſſos & frigidos humores, & in halitus elevant, unde ſæpè dolores & cruciatus augentur. *Vid. Lud. Septalius lib. 7. animadverſ. 66. & 67.*

5. *non conveniunt* 2. *ſi adeſt ſiccitas inteſtinorum, aridaque ſtercora obſtructionem cauſentur*: utrobique enim, niſi priùs evacuatio fiat materiæ, & ſufficiens depletio, fruſtrà non ſolùm ſunt omnia, ſed etiam in longè pejorem ſtatum æger præcipitatur. Elegantiſſimum hanc in rem legi poteſt conſilium *Cratonis 173. pag. 486.* ubi malè quoſdam ſtatim in colicâ feſtinare rectè ſcribit ad flatus diſcutiendos, adhibitis carminativis, quæ quidem in colicâ leviori voto ſatisfaciunt; in vehementiori verò tantum abeſt, ut proſint, ut potiùs plurimum noceant, quod exemplo Doctoris Francofurtenſis confirmatur ibidem, remediis talismodi penè enecti, jamque ad extremam maciem redacti.

6. *Ut à flatibus, præcipuè tenuibus, plurimi oriuntur affectus: ita & in curatione & praxi horum diſcuſſioni maximè eſt attendendum.* Sic pleuritis flatulenta, anxietas præcordiorum, compreſſiones diaphragmatis, aſthma flatulentum, & alia ſæpiſſimè à flatibus oriuntur, unde fruſtra fuerit, ea promiſcuè curare, ut alias ab humoribus oriunda ſymptomata.

7. *Flatus diſcutientia tùm aliis formis, tùm inprimis quoque clyſteribus commodè applicantur*, quibus ipſis unâ quaſi fideliâ duo dealbantur parietes, & fecibus emollitis ac eductis, & flatibus diſcuſ-

Digitized by Google

diſcuſſis. Hinc etiam olea deſtillata, moderatè iisdem remiſta & cautè, optimè faciunt officiunt.

8. *Ut variant cauſæ flatuum productivæ, ita etiam curatio*, ſive ab internâ cauſâ & facultate læſâ, ut vocant, ſive ab errore externo oriantur. Sic, ut leguminoſa, oleracea, humido excrementitio abundantia, poma, pira, ceraſa, melones: dulcia, pinguia, ſeu craſſa & lenta, feculenta, &c. flatus progenerant: ita etiam cruditatibus obviam eundo, id eſt, præcipitando acidulis, aromaticis, &c. pro re natâ medelam fieri oportet.

Lib. II. Sect. II. Caput V.

De anthelminthicis.

Ut toto genere p. n. ſunt vermes, & quæ his affinia repeꝛiuntur in corpore animata ſeminia, ita etiam Anthelminthica infauſto huic malo apprimè ſatisfaciunt, tantò majori encomio digna, quantò magis non tàm humores expellunt vitioſos, ceu deſciſcentes à ſtatu naturali; quàm hoſtilium animatorum acervum fugant, enecant, exterminant.

Faciunt verò hoc ipſum potiſſimum vel 1. *interimendo, putredini reſiſtentia*, ſive enim ſtatuamus, per generationem æquivocam mediante putredine gigni eosdem, ſive ex animato charactere & ſeminio, ſeu ovo; attamen in & cum putredine eosdem foveri, & quaſi in nido ſtabulari, certo certius eſt.

Hinc talia ipſa ſunt tùm (1.) *amaricantia* & *balſamica*; ut enim hæc apprimè corpus à putrilagine defendunt: ita quoque hîc omninò primas tenent, & *omnia amara ſunt anthelminthica*, uti v. gr. myrrha, aloe, abſinthium, ſcordium, rhabarbarum, fel tauri, tanacetum, & è compoſitis elixir proprietatis, pilulæ Rufi, &c.

Tùm (2.) *acida*, adeoque etiam *omnia acida ſunt anthelminthica:* unde non ſolùm acetum; ſed & inprimis ~us acidi, ⊖li, ⊖li philoſ. ⊖is, non tantùm, quia itidem putredinem disjiciunt; ſed & quòd motum & calidum quaſi eorundem eminenter peſſundent ac deſtruant, pro interno potiſſimùm uſu, conveniunt.

Sic

Sic vel ſola Ra violarum ⊕lata egregiè ſe geſſit noſtro experimento in puero, vermibus ad mortem ferè excruciato. Sic etiam *nitroſa omnia vermes enecant*, tùm ob amaritiem, tùm, quod putredini reſiſtant, tùm ob ſal acidum in iisdem emicans, vid. *Langius lib.2. epiſt.4.p.m.510.* de hoc ipſo. Hinc pulvere pyrio induſia inficiunt contra pediculos milites.

Tum (3.) *acria, & ſale volatili vel ſibi relicto, vel oleoſo prægnantia:* unde allium ad vermem cordis vulgò dictum celeberrimum eſt; camphora, quam quicunque ſecum geſtat, nunquam pediculis corripitur: quod amuletum pro militibus, tabellariis & viatoribus aliis eſt accommodum; item ~ C.C. ejusque ⊖ volatile potentiſſimè vermes necat: neque hæc ſolùm irritando vermes expellunt; ſed & interficiunt, contra *Pered.l.1.c.51.* ob ſummam penetrantiam, quâ vitæ ipſorum & putredini adverſantur.

Tùm (4.) *terrea, alcalina, & lixiva ſalina alia*, ut corallina, cujus pulverem empirici lumbricis terreſtribus inſpergunt, eosque ſic necant, C.C. uſtum, ⊖ abſinthii, card. bened. licet non adeò potenter id præſtent; attamen non minùs ad hanc quoque claſſem ſpectantia.

(5.) *Aquea* verò magis vehiculum præbent reliquis, niſi eminentiori charactere mercuriali ſignata ſint.

Hæc omnia animatum ſeminium peſſundant, annihilant, eidemque quàm maximè reſiſtunt.

Vel 2. *ſuffocando*, transſpirationem, in quâ vita vermium & inſectorum conſiſtit, impedientia, qualia ſunt oleoſa & pinguia omnia, quæ poros obſtruunt, & ventilationem inhibent, adeoque quaſi ſuffocant, uti ſunt oleum olivarum, amygdalorum dulcium & amarorum. Licet verò hæc ſola debiliora ferè ſint, neque iis ſolis æquè ad interimendos vermes tutò fidere poſſimus; attamen egregium quoque habent uſum, ut reliqua eò magis poſſint operari. Hinc & exteriùs in plattulis enecandis oleum olivarum affrictum prodeſt. Hinc in clyſteribus ad vermes illiciendos pinguia propriè dicta, (nam juribus & decoctis pinguibus delectantur,) & olea non debent recipi, averſantur enim eadem vermes, & indè potiùs repelluntur. Aſt, ſi olea ſint penetrantia, aerea, quam maximè vermibus ſunt infeſta, ut inprimis ℅ tanaceti, ſpicæ, ſuccini.

Digitized by Google

Vel 3. *liquando & deſtruendo*, quæ ſubſtantiam eorundem mucoſam & glutinoſam reſolvunt, annihilant & corrumpunt, ſimulque acrimoniâ ſuâ quaſi veneni loco iisdem ſunt: qualia nota ſunt inprimis *mercurialia*. Nihil ſub ſole vermibus,& cuivis animato ſeminiò tam inimicum eſt, quàm hæc ipſa: abſumunt enim ipſorum nutrimentum, & quaſi in ideali ſaltim antidoto eosdem necant, ut in decocto ☿rii vivi patet. Non enim ſolùm in ſubſtantiâ ipſis adverſatur; licet crudus planè non tàm facilè expellat, quia facilè dilabitur: unde cum ſacchari duplo commodè poteſt teri & per minima in mortario vitreo agitari: Item ☿ dulcis optimè contra eosdem exhibetur; verùm etiam, quod experimentum eſt Helmontianum, aqua ſive ſimplex, ſive ſpecifica cum ☿rio cocta, ceu ☿ali ſidere tacta, licet coctione hâc de ☿rii ſubſtantiâ nil decedat, contra lumbricos admodum fit valida.

Notandum verò, quòd agitationem ☿rii vivi cum aqua vel cereviſiâ factam damnet *Glauberus parte 2. furn. philoſ. cap. 38. p. 79.* & inprimis, quod non corporaliter; ſed virtualiter ſaltim irradiata dicatur, innuens, particulas ſubtiles ☿ales agitatione hâc cum liquore confundi, & per ſubſidentiam hinc demonſtrari poſſe. Addit etiam, nunquam ſe vidiſſe bonam operationem, ſive ab hoc infuſo, ſive ☿rio dulci; verùm ipſa hæc virtus negari nequit, licet negari non poſſit, promtiorem eſſe ☿rium necandis, quàm expellendis vermibus, ut jam pluribus dicemus.

Sic etiam cinnabarina necant vermes, unde, licet minùs concinnè, nonnulli eò progrediuntur, ut cinnabarin ♁ii, ſiqua virtus antepileptica in eâ ſit, non niſi in ſympathicâ epilepſiâ, à vermibus oriundâ, prodeſſe affirment.

Vel 4. *purgando exturbantia*, unde certum quoque eſt, *omnia purgantia propriè dicta eſſe anthelmintica*, inprimis vulgò dicta cholagoga. Hæc cùm duplici modo agant, non ſolùm ut amara, acria, & reſinoſa, quæ omnia vermibus inimica diximus; ſed & ut evacuantia, & ad exitum irritantia, ad vermes è corpore fugandos omnium ſunt optima & nobiliſſima, inprimis aloë, colocynthis, ſeu trochiſci alhandal, rhabarbarum, ſpecies

diatur-

Digitized by Google

diaturbith cum rhabarbaro, quas probatiſſimas eſſe *Heerius obſerv. 26.* rectè ſcribit: unde ſuprà jam diximus, ſi qua exempla vermium grandiorum eductorum proſtant, omnia vel pleraque ſaltim illa purgantibus fuiſſe præſtita.

Addemus verò his ordinariis duo adhuc alia anthelminthica, quibus tuto fidi non poteſt, nec debet, attamen ab autoribus quoque ſat gravibus commendantur.

1. *Dulcia*, quæ licet nauſeabundo alimento vermes quaſi ex repletione per accidens necare poſſint; attamen hoc ipſo regerminationem ipſorum non impediunt. Sic quidam paſſulas infantibus verminoſis concedunt. & *R. Sennertus in praxi* decoctum ſebeſten expertiſſimum medicamentum dicit, ſingulis diebus infantibus ante cibum propinandum. Sic mel & alia dulcia non nocere; ſed prodeſſe verminantibus aſſerunt quidam, quòd facile bileſcant, & adeò vermibus potiùs adverſa fiant; verùm non in omnibus æquè bileſcere dulcia, alibi jam aſſeruimus. Adeoque dulcia ad vermes abigendos non proſunt, niſi decipiendo, ut his ipſis ineſcati pro melle fel, & venenum ac mortem hauriant.

2. Utut ab autoribus medicis variis traditum ſit, *lumbricos terreſtres* torrefactos & exhibitos vermes microcoſmicos omnis generis proprietate quâdam expellere, quod à contrariâ ipſis mucilaginoſitate reſolutâ, transſpiratione conſequenter prohibitâ, vel ⊖le volatili deduci poſſet attamen, ut taceamus, hujus rei experimenta nondũ ſufficientia facta deſiderari poſſe, *lumbricos* ipſos jam *è corpore expulſos* denuò propinatos alios ſui generis expellere, non ſolummodò incertum eſt; quin potiùs contrarium inde producatur, cùm vermium ſemina hoc modo propagari, & lumbricos produci potiùs experientiâ plurimorum autorum certum ſit. De quo vid. *Finkius enchir. dogm. Herm. cap. 23. p. 120. Tabernæm. in herbar. lib. 1. cap. 5. Senn. l. 3. prax. parte 2. ſect. 1. cap. 5. Heerius obſerv. 9. & Kergerus de ferment. ſect. 1. cap. 6. pag. 56. &c.* non obſtante, quòd aſſumto tali pulvere lumbrici plures dejiciantur; unde ab agyrtis id pro potiſſimo remedio ſolet venditari.

Digitized by Google

Ubivis includenda medii ordinis, ſeu è reliquis mixta. Sic Italis evporiſton ad vermes eſt non contemnendum, ſi lixivium cum ℴ℘ℴ olivarum concutiatur, idque magno cum ſucceſſu propinetur.

Quoad Modum Applicandi, præſuppoſito, indicari eadem ab animati in corpore ſeminii præſentiâ, notandum,

1. *Non ſolùm necandos; ſed etiam expellendos eſſe vermes.* Solent enim in corpore reſtitantia mortuorum cadavera non tàm promtè ſtatim expelli, adeoque putrida ſua miaſmata communicant cum corde & maſsâ ſanguineâ, unde inter anthelminthica duplex eſt differentia: quædam ſunt pigra magis & deſidia, quædam magis activa, & vermes interimentia & expellentia.

2. *Anthelminthica maritanda dulcibus.* Sic clyſtere ex lacte mirè alliciuntur verſus inferiora. Sic & cum lacte exhibentur commodè calido, ut hoc vehiculo hauriant venenum. Sic melle pani illito excipitur ſemen ſanctum, ut hoc modo ineſcentur. Averſantur enim, ut omnia inſecta alia, ſibi contraria. Sic ∽us ⊕li philoſ. cum ſaccharo miſcetur, eodem fine.

3. *Propinanda ſunt jejuno ventriculo, neque ſtatim deſuper aliud comedendum*, ex jam datis rationibus: aliò enim ſuppetente alimento, ingratius quod eſt & adverſum ab ipſis negligitur, & conſequenter ſcopus deſideratus non obtinetur. Hoc verò maximè valet in lumbricis teretibus: illi enim promtiſſimè necantur; in tæniâ verò non minùs quoque id locum habet.

4. *Mercurialia ſtimulo egent; infantibus verò non æque tutò propinantur.* De priori jam diximus. De altero egregius locus eſt apud *Glauberum loco citato*, ☿ius dulcis, inquit, infantibus datus à x. ad xxx. grana contra vermes, plerumque, (niſi robuſtiores ſint,) debilitatem & infirmitudinem membrorum cauſatur. Omnia quippe in hâc ætate fluxilia & laxa ſunt, inprimis oſſa & nervi, hiſce verò mercurius inimicus eſt, adeoque ea facilè lædit.

5. *Anthelminthica aliquando mutanda ſunt, ne adſueſcant hiſce vermes*, in graviori præcipuè caſu, ubi copioſior verminoſa proles

Digitized by Google

proles infixa inteſtinis hæret,& quando dato uno minùs ex voto res ſuccedit,neque vermes ſecedunt.

6. *Externa umbilico applicanda, minùs ventriculo, niſi ad ventriculum approximent.* Non ſolùm, quòd umbilicus perſpirabilis magis; ſed & quia centrum abdominis, adeoque, ubiubi hæreant in inteſtinorum volumine, ad eos faciliùs poteſt ferri virtus; licet *externis hiſce non niſi in ſubſidium utendum.*

7. *Aſcarides magis balneis, ſuppoſitoriis & clyſteribus poſſunt curari.* Sunt verò pueris, interdum & adultis,familiares, & æmulantur vermes caſeorum, ſunt quaſi filii vermium & examen, ſchola & ſeminium. Per os itaque ut via remota eſt, ita propinquior per inferiorem gutturem, ut *Plautino* termino utamur: quo pacto aliquot ægros feliciter reſtituimus.

8. *Anthelminthica non ſunt univerſalia præſidia.* Nota eſt hypotheſis *B. Langii* & *Hauptmanni* de verminoſâ putredine omnium quaſi morborum, dolorum, affectuum, & tantùm non mortis ipſius causâ, de quo ipſo *Hauptmanni ad Fabrum* exſtat *epiſtola,* & *illius pathologia animata.* Verùm, uti non negatur, vermes militare in claſſe cauſarum morbificarum: ita ad omnes morbos hanc extendere cauſam, maximè inconveniens eſt.

9. *Latiùs etiam anthelminthicorum uſus extenditur ad quævis animalia p. n. corpus affligentia.* Sic pediculi eodem genere mortis affici poſſunt, ut & lendes, ſpeciatim in tineâ, cumprimis helleboro, camphorâ, ſtaphide agriâ. Sic hauſto bufonum vel ſerpentum ſemine, quod rariùs, attamen aliquando, contingit, eadem ipſa quoque valent. Tacemus ulcera verminoſa, & remedia his debita alia per clyſteres, lotiones, unguenta, & alia.

Lib. II. Sect. II. Caput VI.

De grumos ſolventibus.

LITHONTRIPTICA ſeu calculum frangentia ſuprà jam ſub nephriticis, quippe non niſi nomine à ſe differentibus, expoſuimus, unde latiùs iisdem jam immorari opus non ducimus. Attamen ne planè ſicco pede prætereamus

Digitized by Google

mus horum claſſem, obiter huc applicabimus *Herculis Saxoniæ prælect. pract. parte 2. cap. 38. §. 2.* canonem, quæ lapidem, *inquit*, molliunt, & grumos ſanguinis attenuant.

Sunt hæc ipſa GRUMOS SANGUINIS DISSOLVENTIA media quaſi inter diaphoretica & diuretica, deque utriſque participant.

Uti enim ipſa *grumefactio dicit 1. ſanguinem extravaſatum*, id eſt, ad certum aliquod πȣ & ſpatium extra vaſa, circulatione impeditâ illapſum, ſive in fieri id adhuc ſit, ſive in facto, *2. coagulationi proximum*, quippe qui extra proprium ſuum elementum & ſphæram putreſcit, corrumpitur, & immotus perſtat: ita, quæ hunc ipſum concretum ſolvunt & fundunt, ut vel in vaſa recipiatur, vel, ſi redire ad priſtinum genium aptus non eſt amplius, diſſipetur & evacuetur, duobus potiſſimùm MODIS AGENDI eorundem horum medicamentorum ἐνέργεια abſolvitur. Reſpiciunt enim

Vel *impeditum ſanguinis motum ac circulum*, ſive ſponte ſuâ in partem debiliorem certam ac definitam irruat, ut in inflammationibus; ſeu vaſorum ruptione & injuriâ externâ extra vaſa deturbetur, & alicubi colligatur. Et talia ſunt præcipuè *diaphoretica* omnia, per ſuprà jam dicta & expoſita; tùm *volatilia*, tenuitate ſeù λεπτομερείᾳ gaudentia quæ fluxiliorem reddunt ſanguinem, &, ut in ordinem redeat, motu concitatiori & ſubtiliſatione ac rarefactione majori præſtitâ, efficiunt; tùm *balſamica*, myrrha, Zedoaria; tùm *fixa*, ♁ium diaphoreticum. Hinc Ra bezoardica, ♁us C. C. miſtura ſimplex, ♁ diaphoreticum, Zedoaria, opium, &c. optima ſunt hoc ipſo caſu, & præſentaneam opem afferunt.

Et hæc proſunt tùm priori caſu in omni inflammationum genere, pleuræ, hepatis, &c. vulneribus recentibus, caſu ab alto recens facto, abſceſſibus fientibus, &c. quatenùs hoc modo ipſa coagulatio & concretio prohibetur, & quaſi in herbâ ſuffocatur. In ordinem enim redacto circulo, collectio non eſt ampliùs metuenda.

Vel *coagulum ipſum*, jam magis conſiſtens, & quaſi factum; quò ſpectant ſub nephriticis relata reſolventia varia, ſive *ſulphurea*,

Digitized by Google

rea, uti ſperma ceti egregium eſt reſolvens, quidquid contra illud ſcribat *Langius lib. 2. epiſt. 31.* quo nomine etiam in aſthmate inſigniter prodeſt; ſive *ſalina*, tùm *acida*, uti ſunt ✠ ſimplex, ✠ ſcylliticum, oxymel ſcylliticum, ſuccus limonum, ~us ⊕li, præcipuè, cùm *Hippocrates* ipſe in ſanguine grumefacto ✠ commendet. Adeoque immota ſtat theſis noſtra, ſæpiùs alibi tacta: *Acida ſanguinem coagulatum reſolvunt.* Unde notari peculiariter hìc poteſt, ut penitiùs hæc diſcutiamus, acida non tàm convenire primo caſu, ſanguine ſcilicet extravaſato in fieri, vel alicubi cum ῥευματισμῷ irruente, niſi intentione ſecundariâ, & ſub dominio volatilium: tunc enim coagulationem magis promovent, quod vulgò vocant repellere; quàm altero, ubi vel extravaſatio, & coagulum jam factum eſt, vel rupto vaſe læſove excidit, ita res eſt adhuc clarior, (adeoque & diſtinguendum inter coagulationem in fieri & in facto.) Tùm *alcalia & alcalina*, lapides ♋ & alia diuretica & lithontriptica, & quæ ob hoc ipſum alcali plantæ traumaticæ audiunt, eorumque ſuccus, decoctum, eſſentia, &c.

Unde quoque patet, cur in pleuritide, juxta ipſum *Helmontium* eadem ſpecifica judicentur, quæ grumis ſanguinis aliàs conveniunt, ut nempe eatenùs materia reſolvatur, quò per expectorationem poſſit excerni.

Conveniunt hæc in caſu ab alto, unde pulvis ad caſum Auguſtanorum celebris eſt. Sic etiam ſanguis hirci, ut de lapidibus ♋ nil dicamus, eſt antipleuriticus, reſolvens grumos, & calculum, ob ⊖ volatile inprimis, quo inſtructus eſt.

Lib. II. Sect. II. Caput VII.

De diureticis.

Actum etiam à nobis fuit ſuo loco latiùs de diureticis, eorum indicationibus & utendi modo, unde illa ſolùm hoc loco addemus, quæ circa Modum Agendi & Materiam ipſam addunt complementum.

Præſupponemus verò, *urinam conſtare 1. parte ſeroſâ, 2. ſalinâ,*

& quæ his admiſta ſunt alia. 3. *ad ejus excretionem requiri vias & archëum renum integrum.* Hinc colligemus, diuretica reſpicere fuſionem ſeri largiorem in genere; in ſpecie verò agere

Vel *abſtergendo*, tùm 1. *aquea & liquida:* notum enim eſt, potum ipſum ſolicitare ad reddendam urinam, adeoque *omnia illa quoque diuretica ſunt, quæ aquea, adeoque ſerum ſubſtantialiter augent*, & uſu renum aucto, ſeu ſecretione, largiorem urinæ proventum excitant, præcipuè verò non adeò cruda, (ſive, niſi quædam ipſis adſit cruditas, vel terreæ atomi,) & quæ ſalino ſtimulo non penitùs ſunt orbata: hinc vinum dicitur diureticum, hinc ſerum lactis, acidulæ, thermæ, quæ quidem ſal explicatum magis habent. Hæc, inquam, aquea, vehiculum ipſum præbent, & locum habent potiſſimùm, ubi ſerum ipſum deficit, ut in febribus, vel reſtitat, vel coagulum ipſum abſterſione opus habet, & vehiculo, unde in calculo & iſchuriâ non mera pellentia conveniunt; ſed & vehiculum hoc unà præbentia, ut cum & mediante ipſo poſſit perrumpere ureteres, & exire calculus.

Tùm 2 *aquoſa, mucilaginoſa & temperata alia*, ſive ſibi relicta, ſive terreis immerſa, ſalinâ facultate non tàm penitùs inſtructa, ut radix althææ, malvæ, glycyrrhizæ, ſonchi, caſſia, fraga, ſem. 4. frig. maj. &c & inde paratæ emulſiones, aquæ, pulveres & varia alia: & hæc utraque acrimoniam ſimul temperant, mitigant, demulcentque, unde in ſtranguriâ, calculo, viſcerum obſtructionibus, &c. proſunt.

Neque obſtat, hæc *frigida* dici *impropriè talia*, & *uretica* potiùs, quàm diuretica, ſicut etiam reſpectu aliorum commodè ita dicuntur & diſtinguuntur. Certum enim eſt, 1. & *calida, acriora, volatiliora, his egere ſæpiſſimè ut vehiculo*, &, niſi hæc jungantur, ſæpè intempeſtivè ſtimulari renes. 2. *Abſterſione hâc ſuâ & renum uſum actu augendo ſatis potentia ſunt*, unde tetigit jam hoc ipſum *Scaliger exercitat. 160.* ubi verè aſſerit, non omnia ignea humida urinam provocare. Sic radix ſonchi, teſte *eodem*, mirificè movet urinas: ſic decoctum noli me tangere adeò movet urinam, ut diabeten excitare poſſit, teſte *Camerario* & *Geſnero:* ſic à ſucco betu-

betulæ ipſi obſervavimus ante aliquot annos diabeten, quæ à fuſione ſanguinis fit, lethalem. 3. adeoque *hujusmodi urinæ provocatio natura maximè eſt conveniens.* 4. notato ſolùm eo, *ubi ſerum nimis reſtagnat*, v.gr. in hydrope, cachexiâ, *minùs ea convenire.*

Vel *ſtimulando & præcipitando ac fundendo ſanguinem*, unde non ſolùm juxta *Galenum l. 5. de ſimpl. med. facult. cap. 13.* quæ acriora ſunt, & magis calefaciunt, urinam movent, & juxta *Hippocratem*, quæ citò calefiunt., & calefacta marceſcunt ac liquefiunt, & ob id citum ſeceſſum faciunt; verùm etiam chimici præcipitari ab iis magis ſanguinem in renibus aſſerunt, uti materia ſeroſa à reliquo cruore naturali quoque ordine ſecernitur, non ſecus, ac ſerum à lacte, unde & diuretica ſunt ejusmodi, quæ & lacti coagulationem inducunt, ideoque quia ſanguinem fundendo plus præcipitant, largam urinæ profuſionem inferunt. *Vid. Williſius de fermentat. cap. 11. pag. 84.* Verbo, fluxile reddunt magis ſerum, adeoque ejus ſecretionem in renibus promovent magis, eaque

Tùm *ſalina* & *mercurialia*, uti ⊖ia volatilia, cumprimis ⊖ vol. ſuccini, ~us □oſi, ⊖ ♀ri volatile, & alia, ex quo convenientia diaphoreticorum & diureticorum patet: tùm *fixa* omnis generis, ſive *alcalia* ⊖*ina*: ſic lixivia admodùm ſunt diuretica, v.gr. lixivium benedictum Mynſichti, ⊖ ononidis, geniſtæ, ⊖ bufonum, ℞a ♀ri, ſilicum, &c.

Hinc *ſal ſ imum eſſe diureticum*, rectè ſcribunt chimici. Pertinent huc inprimis cantharides, quæ potentiſſimè movent urinam, & gaudent ſale acri volatili cauſtico, in urinâ liquabili, quod in vaſa raptum, in renibus & veſicâ hinc adeò ſtimulat, ut & erodat, & mictum cruentum inducat. Pertinent huc omnes plantæ, reſolvente ſalinâ & mercuriali vi pollentes, v. gr. radix chinæ. Sive *alcalina terrea*, lapides ♋, diureticorum apex, lapis nephriticus, & alia lithontriptica: ſive *acida*, ut ~us acidi, ⊖is marini, ⊕li, &c. & hæc etiam in coagulationem abiens ſerum apprimè corrigunt & diſſolvunt; unde in genere de his dicimus quoque: *quæcunque liquant pituitam, ea &*

Digitized by Google

urinam movent, ipſa enim pituita ut ſæpius diximus, nihil eſt aliud, quàm ſerum coagulatum; in primis etiam *nitroſa*, ut lapis prunellæ, arcan. dupl. Mynſ. &c. ſive *media*, ♀ ⊖latus: nam ut urina de ſingulis participat, ita etiam ab omnibus propellitur.

Tùm *ſulphurea*, ſive, quæ ſale volatili oleoſo abundant, ea enim & citò in ſanguinem diduntur ob volatilitatem, & tenuitate ſuâ poros aperiunt, & caliditate renes ſtimulant, ac ſalinâ virtute exitum ſeri procurant uberiùs: imò à ſale reſoluta & expanſa violaceum odorem urinæ conciliant; unde pertinent huc è ſimplicibus omnia de hoc principio participantia & lithontriptica; inprimis verò *terebinthinata* omnia, & in ſubſtantiâ, ut in pilulis, coloſtro, cum ▽is, & oleo ac ~u propinata, attenuandi & ſegregandi potiſſimùm vi pollentia.

Imò & *Oleoſa* huc ſpectant alia, licet terreis immerſa, ut glandes quercûs, oſſa dactylorum, nuclei perſicorum, &c.

Vel denique *aperiendo vias, & reſolvendo*, idque tùm *per ſe*, uti, præter jam dicta in priori claſſe, omnia ſunt aperientia & obſtructiones expedientia: unde uti certum eſt, *diuretica optima eſſe aperientia:* ſic etiam vice verſâ *aperientia ſunt optima diuretica.* Idque præſtant tùm *aquea*, tùm *ſalina*, tùm *oleoſa*, conjunctim, poros laxando & reſerando, temperandoque, ſicubi ſint partes eroſæ: tùm *per accidens*, uti purgantia vim habent diureticam eximiam, non ſolùm, quòd ipſa quoq; fundant ſanguinem, unde ratione ſalini hujus ſtimuli conveniunt & diuretica cum purgantibus; verùm etiam ob conſenſum inteſtini recti & veſicæ. Altero enim ſphinctere ſoluto, & alter portam pandit, & lotium certò certiſſimè pellendi hinc efficacia ſequitur, de quo elegans locus & hiſtoria legi poteſt apud *Langium miſc. cur. tit. 6. p. 16.*

Et hæc potiſſimùm locum habent, quando reſtitat in veſicâ urina, & propellendum eſt ſerum etiam ex vaſis, ut in ordinem redeat, ut alveis ſuis vectum locis debitis exitum inveniat, & remoræ ſubmoveantur omnes, adeoque ipſi ſanguinis purpuræ, & lymphæ balſamicæ ſuus perſtet illibatus vigor.

LIB.

Digitized by Google

Lib. II. Sect. II. Caput VIII.

De emmenagogis.

Ut aliàs univerſalia ſunt, quæ per ſudorem, alvum, os, urinam evacuant, in utroque ſexu, ita in fœminis ſpeciatim ea hunc cenſum ſubire merentur, quæ menſes ducunt, quibus altera ſanitatis fœminarum pars abſolvitur.

Cùm verò duo omninò circa hos ſint obſervanda ſumma genera, *humor ipſe*, qui excidit, ſeu ſanguis, & *via*, *per quas*, juncto & non neglecto ipſo archéo, qui cœlorum rhythmum per lunare hoc tributum explicat: hinc etiam ipſa hæc menſes ducentia medicamenta ſpecialiùs paullò præter ſuperiora hoc loco luſtranda.

Reſpiciunt vel *vias*, quas utique liberas eſſe decet in totâ republicâ microcoſmicâ, qualia ſunt tùm *aperientia* omnia, largo modio ſuperiùs recenſita, exceptis acidis & nitroſis, quæ ſcilicet intentioni alteri ſunt contraria, niſi eadem ita dirigantur, ut ſub aliorum dominio actionem eorundem juvent. Unde huc etiam pertinent è ſpleneticis omnia *incidentia*, *attenuantia & reſerantia*, tùm inprimis verò *infuſa*, *decocta*, *potiones*, ad fluxiles magis reddendos humores. Maximè ergo huc ſpectant radices 5. aper. decoctum aperitivum, & alia *emollientia*, inprimis etiam externa, ipſa *balnea*, quæ & calore blando, & inſigni humectandi energeiâ vias quàm optimè expediunt, & , quod λεπτομέρεια ſeu particularum tenuitas internè, id hæc externè eminenter præſtant. Sic etiam *ſuffimenta* poros laxantia, & mucum detrahentia alia huc pertinent, & locum habent in ſterilitate, menſium defectu, decoloratione, reſtagnatione, & exinde productis ſymptomatibus aliis, uti v. gr. non ſine fructu commendat ſuffumigium è pomo colocynthidos utero per infundibulum exceptum *Timæus in conſiliis*, quod ſucceſſiſſe in quâdam fœminâ ſcribit: & ipſi hoc remedio commodè poſt balnea

Digitized by Google

cum fructu ſumus uſi. Adeoque emmenagoga ipſa nihil aliud notant, quàm aperientia uterina ſpecificata.

Vel reſpiciunt *ſanguinem ipſum*, cujus uti ſtatum menſes unicè denuntiant: ita iidem illius omninò conditionem ſequuntur, ut plus, quàm Apollinis oraculum, verum ſit; *qualis ſanguis, tales menſes, quales menſes, talis ſanitas.* Uti verò ad menſium eruptionem requiritur ſanguinis quidam ὀργασμὸς, ſive repletio, ſive fermentatio, unde ſibi viam quæritat, & ſtato tempore exſolvitur: ita etiam emmenagoga illa ſunt eximia, quæ ſanguinis ſtatum ad hoc ipſum munus indiſpoſitum reſpiciunt, quod in genere quidem fit, motum ejusdem promovendo; in ſpecie verò potiſſimùm duplici fit ratione:

Vel enim 1. *impedimenta ſanguinem quaſi figentia & coagulantia auferunt*, illa verò impedimenta ſunt duo: *humores acidi & pituitoſi*, ſeu ſerum coagulatum. Inter illa ſunt v. gr. *martialia*, crocus aperitivus 🜂tus, cum 🜔ibus, pulvis cachecticus Quercetani, pulvis ſtomachalis ejusdem: imò ſunt, qui crudam limaturam ♂is vel ☉is eâdem intentione propinant, ut aciditatem conſtringentem abſorbeant & reprimant. Præcipuè verò conveniunt martialia huic fini ea, quæ humectandi poteſtate unà pollent, ut ℞a ♂ pomata, & cydoniata, quæ inſignem contra hunc morbum obtinet virtutem: ℞a ♂ ♀ rea, & ſimilia, ut unà & ſiccitas reſpiciatur, & fermentatio ſanguinis deficiens promoveatur; aliaque, quæ ſerum in coagulum abiens, ſeu pituitam, liquant, fundunt, reſolvunt & attenuant, amaricantia, & quæ partium tenuium ſunt alia, ut dictamnus, leviſticum, artemiſia, cerefolium, matricaria, &c. è jam dictis aperientibus.

Vel 2. *ejusdem rarefactionem promovent & ſtimulant*, ut excitatis ac exaltatis particulis ſulphureis & ſalinis volatilibus activior fiat, & lentore ſuo torpido exſuto amplius affectet ſpatium qualitate & motu; quò pertinent omnia *balſamica volatilia & media*, tàm *ſulphurea*, v. gr. crocus, myrrha, baccæ lauri, ſabina, quæ menſes potentiſſimè pellit: item ☍a deſtillata, ſabinæ, cinnamomi, meliſſæ, croci, &c. quàm *ſalina*, 🜔ia fixa, & volat, ℞a ♀ri, borax, 🜔 artemiſiæ ſ. & ⊕latum, &c, ~us ✱ci, cujus etiam

etiam externum uſum peculiari inſtrumento ad uterum derivandum maximè commendat *Glauberus* : -us C. C. ⊖ ſuccini volat. ℞a bez. Mich. quæ volatilitate ſuâ ſæpe pellit menſes. Unde regula practica eſt, utrique intentioni appropriata: *Quæ urinam cient, plerumque etiam promovent menſes.*

Vel 3. *ſtimulant & utrumque expediunt.* Pertinent huc ipſa quoque purgantia, quatenùs non ſolùm cauſam antecedentem, humores viſcidos, lentos, attenuant & educunt, adeoque aperiunt & vias reſpiciunt; verùm etiam ſanguinis rarefactionem & fermentationem apprimè juvant, ut ſæpe ipſo die, quo aſſumta fuere, redeat fluxus: & inter alia quoque aloe huc facit, unde *Hoffmannus* refert, habuiſſe ſe ancillam, cui nullâ aliâ ratione promoveri potuerint menſes, quàm uſu pilularum peſtilentialium Rufi ſeu de tribus, aloe, croco, myrrhâ. Sic idem de *Helidéo* refert, quòd in pertinaciſſimis menſium obſtructionibus elect. hieræ ʒj cum ℈j croci uſus fuerit feliciter. Hæc, inquam, utrique indicationi quàm optimè ſatisfaciunt, & hinc infuſa aperientia cum laxantibus perquam commodè miſcentur.

Vel 4. *ipſum ſanguinem reſtaurant, reficiunt, adeoque fluxilem reddunt*, qualia ſunt inprimis analeptica & victus commodus ac paullò plenior. Abſurdum enim fuerit, ſi quantitate deficiat, motum ejuſdem promovere. Hinc uti fœminæ ſeroſiori & fluxiliori gaudent ſanguine, ad turgeſcentiam ſcilicet aptiori, & hoc ipſo plethoram ſeu abundantiam ſeroſam acquirunt, quam certo tempore pro naturæ nutu depleri ſentiunt: ſic huic quoque omninò proſpiciendum eſt, uti jam quoque dicemus.

Quoad Applicandi enim Modum, ſi ullibi aliàs, multa veniunt obſervanda notatu digna.

1. *Ubicunque non adeſt menſes movendi indicatio, ibi fruſtrà emmenagoga adhibentur:* ceſſante enim indicante, ceſſat remedium, quod indicationi debetur. Non indicantur verò tùm ratione ætatis, unde fruſtrà fuerint, qui puellis 10, 11, 12, annorum eadem adhibere audeant: tùm ratione ἰδιοσυγκρασίας, quandoque enim nulla adeſt per naturam inclinatio ad hoc

hoc tributum lunare; licet id rariùs viſatur, obſervavi tamen idipſum in aliquibus, quæ & conjugium, licet ſterile, contraxerunt: tùm præcipuè ratione abundantiæ deficientis, unde tùm aliàs, tùm à morbis chronicis convaleſcentibus, virginibus & fœminis non adhibenda, niſi analeptica.

2. *Gravidis non danda ſunt emmenagoga*, quod quidem duplici de cauſâ potisſimùm valet: non danda ſcilicet ſunt meretriculis, & ſemper cautè danda, quæ ſcilicet prætendunt obſtructionem menſium, & gravidæ exſiſtentes intendunt fœtûs deturbationem; licet enim, niſi diſpoſitio adſit ad abortum, fruſtrà ſæpe decoctum ſabinæ ac purgantia aliaque hauriant; attamen id contra conſcientiam eſt, neque in caſu dubio ultra martialia & aperientia moderata adſcendendum eſt. Non danda item gravidis nimis calida, ſanguinis rarefactionem urgentia: uti enim gravidæ tali rarefactione & fermentatione præternaturali, ſeu febribus ardentibus correptæ, utplurimùm menſes præternaturales & conſequénter abortum, pati ſolent: ita longè minùs id medicamentis eſt intendendum: quæ ipſa quoque eſt ratio, quòd ipſis purgantia minus conveniant.

2. *Menſes moventia niſi juſto tempore adhibeantur, nil juvant.* Alia ſcilicet in hoc ratio eſt eorundem, quàm purgantium, emeticorum, & diaphoreticorum; nam præter vias & ſanguinem ipſa natura ſeu archeus fluxum hunc principaliter efficit & dirigit: hinc ſequendus eſt in promotione eorum hujus ductus: adjuvanda eſt, impedimenta removenda. Hoc in caſu, quoad tempus, duo notanda in praxi: aut enim jam fluxerunt, aut nondum: ſi *hoc*, tempus eligi ſolet & debet conjunctionis ☉is & ☽æ: utut enim experientiæ non reſpondeat vulgatum illud:

Luna vetus vetulas: juvenes nova luna repurgat;

attamen ex eo non ſequitur lunam nihil conferre, cùm conferat utique quàm maximum, & uti humorum eſt domina: ita quadris ſuis, inprimis novilunio oceani microcoſmici æſtum excitat: de hoc tempore inter alios legi poteſt *Rulandus pract. empir cap. 1. pag. 152.* Sin *illud*, quærere debet medicus, quo tempore alioqui fluere naturaliter conſueverint: valet enim, uti aliàs

in

in medicinâ, ita & hoc loco: *In tempore dare medicamenta, optimum.*

4. *Non ſola aperientia, non ſola pellentia ex uſu ſunt promiſcuè.* Vidimus aliquoties enormiter in hoc peccâſſe mulierculas & medicos, qui decocta emmenagoga, imò olea deſtillata juniperi, ſabinæ, ſpiritum ſalis ammoniaci & ſimilia toto die & indifferenter propinant, ſpecifica hæc putantes, quæ ab autoribus pro probatis venditantur; cùm tamen illa maximè pro talibus ſint habenda, quæ huic vel illi indicationi ſpecialiori ſatisfaciunt.

5. *Optimum* ergo *eſt, præmittere aperientia, ſubjungere pellentia, tùm interna, tùm externa.* Sic egregio ſtrategemate ante conſuetum & ordinarium tempus per unam vel alteram ſeptimanam propinantur aperientia, humectantia, digeſtiva, præparantia. Imò ipſa purgantia, & V. S. in quibus cardo rei vertitur, alio tempore non inſtituenda: quod ſi fiat, fruſtranea & inefficax omnis erit curatio.

6. *Quæ menſes movent, eadem & fœtum promovent*, & adeò talia non tàm audiunt aperientia generalia, quàm ſpecialia & rarefacientia. Inprimis verò operantur, ut ſeorſim quædam de iis addamus, quatenùs vel *confortant* naturam, unde vini, vini Malvatici hauſtus prodeſt, & cordialia paullò volatiliora, aromata omnia: vel *ſtimulant*, & motum citatiorem reddunt, eaque tùm *aquea*, volatilitatis non omninò expertia, qualis eſt ▽ pulegii: vel *emollientia*, ut ▽ lil. alb. vel *diuretica*, unde emulſio ſeminis lithoſpermi, violarum, cum aquis appropriatis huc ſpectat: tùm *oleoſa*, ut o͞o ſuccini, ſuccinum quoque ipſum: tùm *ſalina*, quorum agmen ducit borax Veneta, unde Lucina titulo ſecreto quibusdam audit: vel *mitigant* & *nervoſum genus ſolantur*, cujus irritatio dolorifica ſæpe difficiliorem partum reddit: unde huc eximiè ſpectant cinnabarina, & notabilis de ſpecifico cephalico exſtat hiſtoria apud *B. Langium miſc. cur. tit. 32. pag. 97.*

7. *Partum facilitantia propriè dicta non niſi inſtante fœtu, & naturâ juvaminis indigâ propinanda:* ad quod pertinet non ſolùm 1. tempus novem menſium, ſeu dierum 280. legitimè elapſum; verùm etiam 2. dolores partûs veri, 3. quod omnium palmarium eſt, partus inſtans ipſe, qui niſi approximet portæ, & apertura

tura ſeu hiatus jam ſe panderit magis, fruſtra eſt, non agentem naturam irritare ac ſolicitare, unde ſcilicet ipſa benè hactenùs agens pervertitur, ut ſæpe intempeſtivè fœtum ejicere tentans, ſtimulo ſcilicet hoc addito, vitioſam ipſi figuram conciliet, & partum præter naturam difficilem inducat: uti aliàs quoque ipſæ obſtetrices in hoc ut plurimùm delinquunt, dum citiùs, quàm par eſt, hortantur, ſtimulant, pellunt, & in ſellam parturientes collocant.

8. *Fœtus mortuus & ſecundina retenta fortiora ſtimulantia ferunt*, qualia inprimis ſunt ſulphure acri fœtido pollentia, quo nec ipſi teſtes equi carent, licet non æquè promtum ſæpenumerò auxilium ferre obſerventur. Externa verò partum promoventia, niſi prædictis intentionibus ſint conformia, vel adſtrictione abdominis ad excluſionem ſolicitent muſculos, iiſque hoc pacto robur quaſi concilient, plurima ſunt ſuperſtitioſa. Notandum verò eſt,

9. Quòd *eodem caſu utroque, præter alia præſidia chirurgica, putredini tunc maximè obviam eundum ſit*, quatenùs miaſma illud putridum ab iis exhalans cor ferit, & febrim excitat ſatis periculoſam, & tantùm non lethalem, unde conveniunt tunc balſamica putredini maximè reſiſtentia, myrrhata inprimis, unde eſſentia myrrhæ cum ♒u ♀ri, item elixir proprietatis eo nomine ſatis ſunt celebria: nec ipſa bezoardica ſunt excludenda.

10. *Menſes cientia lac non augent*; ſunt enim & indicationes contrariæ & motus oppoſiti, de quibus videatur *Langius l.cit. tit. 19. pag. 46.* qui negativam hanc latius tuetur & exemplis ac rationibus propugnat. Utut verò in contrarium adduci poſſit, quòd experientiâ teſte, ſimul ſtare poſſint menſium fluxus, & lactis præſentia, & quædam communi quaſi conſenſu medicorum, exemplo fœniculi utrumque expediant; nihilominus tamen ſi theſis intelligatur de propriè dictis, penetrantioribus & pellentibus fortioribus, vera eſt & fundamentum in re habet.

LIB.

Digitized by Google

Lib. II. Sect. II. Caput IX.

De lac augentibus ac minuentibus.

LEve videtur poſtulatum muliercularum, lac facere; attamen ſatis magnum eſt ſæpe, ſi medicus promiſſis ſtare, & illud præſtare velit.

Lac quæ Augent, & ejus copiam producunt,

Vel 1. *augent chylum, ac partes ſanguinis ſero, ac chyloſioresque*, qualia ſunt non tantùm *alimentoſa*, *εὔπεπτα καὶ πολύχυλα*, facilè in ſuccum & ſanguinem convertibilia, ova ſorbilia, juſcula amygdalina, ex lacte, nucleis pini, oryzâ, & ſimilia: potus largior, quem ideò non ſine causâ concedimus nutricibus, ut ejus ſuggeſtione lac hinc ſuppetat: unde etiam cum lacte decocta, & ipſum hauſtum per ſe, quàm maximè huc faciunt. Pertinent huc ubera vaccina, quæ ſanè rectiùs alimentis junguntur, quàm medicamentis, quia facilè rancorem contrahunt. Sed & *medicamentoſa*, quæ partes oleoſas cum aqueis communicant, & immerſas habent, quod chylo maximè & lacti conforme eſt, quippe quod nihil eſt aliud, quàm partes oleoſæ ſubſtantificę aquoſis remixtæ: ſemen cardui Mariæ &c. Hinc faciunt quoque huc oleoſa temperata alia: ſemen nigellæ, fœniculi, paſtinacæ, & ſimilia.

2. Vel *vias patulas præſtant, & reddunt poros liberos, ut commodè influere poſſit*: unde rectè elogio *B. Langii miſcell. cur. tit. 19. pag. 46.* diaphoretica & ſudorifera ſingula, præſertim ſi blanda illa ſint & temperata, effectum illum præſtant, abſorbentia ſcilicet, quæ coagulum impediunt, & potiùs alcalinâ ſuâ naturâ, uti ſal interpres eſt conjunctionis partium oleoſarum cum aqueis, commixtionem ſeu confuſionem hanc procurant. Sic *idem* ceu arcanum commendat decoctum ex florum ſambuci exſicc. cum lacte vaccino factum, ceu probatiſſimum experimentum, quo pro vehiculo ſæpe uſi ſumus. Sic cryſtallus præparatus, lumbrici ♁ſtres præparati, & præ omnibus lac ☽æ hunc cenſum maximè ſubeunt, de quo vid. *Geſnerus, Bootius, D. D. Major &c.* Sic & vinca pervinca quovis modo hauſta vel propinata vim habet *πλυγαλακτοποιητικήν*.

3. Vel *affluxum ad mammas promovent*, uti ſunt frictiones, fomenta ex decoctis, ſemen fœniculi, anethi cum lacte, empla-

Digitized by Google

ſtra item ex commendatione nonnullorum id præſtant. Præcipuè verò eum in finem è vegetabilibus laudem meretur pimpinellæ recens herba inter mammillas poſita, laudata à *Sim. Paulli quadripart. botan. loco propr.* E mineralibus cryſtallus, & præ omnibus aliis ☿ius ſeu argentum vivum. De hoc ipſo verò locus elegantiſſimus, & qui inſtar omnium eſſe poteſt, exſtat apud *Herculem Saxoniam prælect. med. lib. 10. cap. 53. pag. 858.* ubi refert primò experimentum muliercularum Patavinarum ex Th. Jordano & vulgatâ notitiâ. quæ lactantes, cumprimùm lac amiſerint, à pharmacopolis corticem avellanæ in hunc uſum à medullâ excavatum, & foramine anguſto fabrefacto, argento vivo plenum ſibi ipſis emant, obturato cerâ orificio, & collo appendant, ut lac reſtituatur, quod ipſis ex voto ſuccedit. Deinde etiam rationem modi agendi addit duplicem: alteram vulgatam, alteram propriam: illam quidem, quòd opinio ſit muliercularum utentium, id faſcinationibus prodeſſe, & lac à faſcino ablatum hoc modo reſtitui: hanc verò, quòd hydrargyrum vaporoſam in ſe habeat ſubſtantiam, & usque adeò tenuium ſit partium, ut non modò in penitiores quascunque partes ſe inſinuare poſſit; verùm etiam tophaceos tumores diſſolvat ac digerat: unde arguit, ideò prodeſſe deficienti lacti, quòd valeat craſſum ſanguinem fundere & attenuare, qui propter ſui craſſitiem & lentorem venas mammarum ac glandulas ingredi non poterat. Sanè admodùm curioſè & accuratè. Id ipſum enim experimentum valere & ſuccedere, noſtrâ experientiâ corroborare non dubitamus, ſæpiùs enim id cum fructu ſuaſimus. Effectus verò ipſe hîc rectè adſcribitur mercurio, quòd fluxiliores reddat humores, ſerum & ſanguinem, unde ad motum cietur fortiùs, & in mammis ſecundùm naturam lac colligitur.

Et hæc locum habent in nutricibus & puerperis, tùm ſtatim poſt partum, tùm ſubſequente tempore, quâcunque demùm externâ de cauſâ fons hic fundere lacteum liquorem recuſet.

Cum verò contrariorum eadem ſit ratio, facilè jam LAC MINUENTIUM AGENDI MODUS patere poteſt, quorum ſanè uſus non minor eſt, ac priorum.

Præſtant enim id reſpiciendo vel *vias* 1. *emolliendo, & laxando.*

Digitized by Google

do. Omne enim lac reſtagnans, nec exitum ſuctu inveniens concreſcit, grumeſcit, unde tenduntur mammæ, inflammantur, & non rarò ſuppurantur, ſive terror aliquis præcedat, vel alius gravis affectus, mœror, triſtitia, quod frequentiſſimè accidit ægrotantibus vel morientibus infantibus; ut reſtitet, nec in vaſa æquè, ut alius ſanguis, ad cor tunc ruens recipiatur, unde proximus eſt ad coagulationem gradus. Hinc expertum eſt medicamentum, quod commendat *Williſius de febb. pag. 289.* ubi lac, *ait*, in mammis, emplaſtris è diachylo applicitis citò diſparuiſſe. Idipſum ſæpiùs experti fuimus feliciter, imponendo emplaſtrum diachylon ſimplex, eâ tamen cautelâ, quod de aliis item omnibus ſimilibus valet, ut foramen in medio relinquatur pro papillâ, ut liberâ exſiſtente eâdem effluere lac poſſit. Sic quidam pulmentum & cataplaſma parant è pane ſimilagineo, additâ dimidiâ parte ſalis, & aquâ calidiſſimâ. Sic fomenta cum lacte adhibent quidam. His per aliquot dies continuatis lac profluit vel conſumitur ſine dolore.

Vel 2 *reſtagnationem*, *diſcutiendo & reſolvendo*, unde factâ ejusmodi reſtagnatione non ſolùm internè conducunt bezoardica, ſudorifera, regreſſum in vaſa promoventia, & diſſipantia; verùm etiam omnia, quæ grumos impediunt & coagulum, idque præter jam recenſita præſtant tum cum *ἐνεργείᾳ emollientia*, ut ſperma ceti, unde ad tumorem mammarum in lactis copiâ nil æquè præſtare ſcribit *Timæus*, quàm emplaſtrum, ſeu ſparadrapum potiùs *Mynſichti* de ſpermate ceti: chærefolium item ac petroſelinum impoſita commodè diſcutiunt & reſolvunt: tùm *volatili ſulphure vel ſale pollentia*, camphora, crocus, qui tamen parcè adhibendus, &c. tùm *ſalſa*, unde ſolent pro evporiſto appendere crocum, ſal & ſalviam. Radicem armoraciæ lac ſuffurari tùm *Schröderus*, tùm *alii* ſcribunt, cujus folia etiam cum fructu ſæpiùs impoſuimus ad eryſipelas præcavendum & curandum. Tùm *amara*, quæ coagulationem impediunt, & conſiſtentiæ lactis inimica ſunt, unde omnia, quæ ſemen, eadem etiam lac imminuunt, mentha, cicuta, abſinthium, ruta, &c. Sic & externè frictiones lenes, non aſperæ, v. gr. cum pelle muſtelæ, egregiè diſſipant. Sic huc pertinent pectinationes quaſi, cum excutiâ factæ.

Digitized by Google

Diſcutitur etiam lac experimento vulgato, quod & *Helmontius lib. de magnet. vuln. cur. §. 21.* aſſerit, mulier, *ait*, ablactans infantem, quò citiùs ubera ſibi ſterileſcant, in prunas lac emulget, & mox ubera flacceſcunt; quod tamen indifferens eſt: in leviori caſu juvat, quod experti ſumus; in graviori, ut ſæpe omnia alia, minùs. Neque obſtat muliercularum timor, inde nullum omninò lac redire, quod contra experientiam eſt.

Vel 3. *affluxum, proventum ulteriorem impediendo,* qualia ſunt tùm *adſtringentia*, uti ex pulvere myrtillorum ſolent ſacculum interpaſſatum, in medio apertum, applicare, & inungunt oleum myrtillorum; licet olea commodiùs omittantur: tùm *repellentia*, ſive *terrea* & *aquea*, uti è bolo albâ communi & ceruſsâ cum ▽â roſarum ſolet fieri uſitatè maſſa, & applicari: ſive *acida*, ut acetum ſimplex vel ♄niſatum, ſive ſola applicata, ſive cum diſcutientibus mixta, unde egregium experimentum exſtat apud *Morellum pag. 567.* ſpongia nempe immerſa in decocto cumini vel coriandri, facto cum aceto acerrimo, & admota, idque ſecretum quorundam eſt, quod ipſi etiam in aliquibus cum fructu experti ſumus. Pertinet huc oxycratum, unguentũ roſatum, cataplaſma è farinâ fabarum, lentium, ſemine cumini, coriandri, cum ſucco ſolani, plantaginis, aceto & oleo roſaceo. Sic aceti fecem commendat *Plinius lib. 23. cap. 2.*

Facit huc etiam *exteriùs facta compreſſio thoracis* per veſtimenta arctiora, einſchnieren/ & inprimis victus moderatus, tenuis & ſiccans, potus item parcior.

Habent verò hæc uſum triplici caſu, ſive infantes ablactentur, quod toto die fit, & eo caſu faciliùs res ſuccedit; ſive moriantur, ubi difficiliùs; item apud magnates aliasve, quæ ipſæ lactare nolunt, præſervativè, quo pacto feliciſſimè ſæpè adhibuimus emplaſtra.

Quoad UTENDI ET APPLICANDI MODUM notandæ ſunt aliquot cautelæ:

1. *Pinguia mammis in reſtagnatione lactis non applicanda*, non humectant enim ſolùm magis, & influxum majorem cauſantur; verùm etiam facilè inflammationem, ſiqua non adeſt, procudunt, & præſentem augent: unde quoties vidimus applicata in

dolore

Digitized by Google

dolore hoc à lactis copiâ pinguia, toties ferè ſuppurationem conſecutam notavimus. Præſtant eo caſu diſcutientia, qualis v. gr. eſt ▽ calcis vivæ quæ, ſiqua alia, inflammationem omnem avertit, & refrigerat, & diſcutit.

2. *Repellentia in mammis non æquè locum habent*, tùm ob viciniam cordis, tùm, quia facilè coagulationem & caſeationem lactis inducunt, & motum humorum fluxilium quaſi figunt & impediunt, ut minùs in vaſa remeare, diſcuti, vel effluere poſſit: hinc non niſi in principio ſtatim, & mitiora, vel cum digerentibus mixta, applicanda.

3. *Repellentia lac meliùs dorſo applicantur*, ut nempe influxurus liquor avertatur potiùs, quàm, ſi in mammis illud fiat, qui influxit, perperam detineatur. Sic hoc pacto experti ſumus emplaſtrum ex ſpermate ranarum cum albi cocti ana dorſo applicatum; anterius verò emplaſtrum diachylon, optimo conſilio & ſtrategemate: ita enim quod influxurum eſt lac, impeditur quaſi in viâ, &, quod influxit, exitum invenit, id quod aliis ſimilibus quoque imitari licet.

4. *Coagulatio lactis quovis modo prohibenda; ſin verò emolliri nequit & diſcuti, ſuppuratio promovenda*. Hinc ſemper *reſolventia* immiſcenda è ſemine apii, cumini, coriandri &c. hinc acidis admiſcenda incidentia. Hinc omnia, quæ hactenùs diximus, valent, & locum habent, quando adhuc intra ſphæram & naturæ dominium res eſt, ut ipſa ſibi applicare hæc remedia queat. Sin minùs, nullum aliud remedium eſt, quàm ſuppuratio, quæ perficitur emollientibus penetrantioribus, inprimis ex oleo lini, melle, farinâ lini, vitellis ovorum, terebinthinâ, aliiſque jam dictis.

Lib. II. Sect. II. Caput X.

De anodynis & narcoticis.

Ut nihil inter omnia ſymptomata dolore moleſtiùs eſt, ita nihil ægrotis gratius medicamentis hos ſiſtentibus & mitigantibus.

Ut

Digitized by Google

Ut verò eò meliùs in horum recenſione progrediamur, neceſſe eſt præmittere diſtinctionem inter anodyna interna & externa, juxta hunc enim applicandi locum variat utique etiam agendi eorum modus.

Utraque quidem in genere ſunt, tenſionem & vellicationem partium membranoſarum laxantia; ſed diverſo longè modo.

Externè enim id præſtant tùm *emollientia*, ἐνεϱγητικῶς talia, ſeu *mucilaginoſa*, unde epithema evporiſton in omnibus doloribus conſit ex pane ſimilagineo, lacte, croco, vitello ovi, &c. Sic & lumbrici vivi applicati dolores tùm paronychiæ, tùm alios partium nervoſarum inſigniter leniunt, quâ ratione aliquando curavimus dolores dorſi maximos, ſolis his contuſis & applicatis.

Seu *aquea tepida*, calida & humida. Sic balnea, fotus, & topica ſimilia blando tepore laxant & digerunt, adeoque egregiè demulcent: ſic balnea in doloribus calculi & ſimilibus ſunt optima. Sic uſitatum eſt in praxi, & ab ipſo *Hippocrate* commendatum, ut in dolore pleuritico lac calidum veſicâ exceptum lateri dolenti applicetur: licèt enim, quod nonnulli objiciunt, non poſſit penitùs liquoris virtus membranam hanc penetrare; attamen neque opus eſt eo, ſufficit enim, blandum teporem hoc modo diutiùs continuari poſſe, & hinc diutiùs afficere ac demulcere dolentem partem.

Seu *pinguia*, quod præſtant illa ipſa omnia, niſi quid applicationem eorum impediat. Sic unguentum anodynum vulgatum officinarum ex meris conſtat pinguibus. Sic vitellum ovorum inter anodyna hæc meritò refertur. Hinc in hoc omnes pinguedines conveniunt, &, utramvis ſelegeris, perinde fuerit, parvo habito ſelectu.

Tùm *repellentia, & affluxum humorum prohibentia*, quæ ut priora demulcent: ita hæc obtundunt ſenſum partis. Sic huc pertinent omnia actu & potentiâ frigida, uti v. g. colicam applicatâ glacie curatam recenſet ex aliis *l. de nive Bartholinus*: concentratur enim inde calor, & conſequens irritatio, & doloris intenſio remittit.

Digitized by Google

mittit. Pertinent huc porrò frontalia, epithemata, in dolore capitis frequentari ſolita, unguent. alabaſtr. & ſimilia.

Tùm *digerentia*, quæ ſuavi ac leni calefaciendi & diſcutiendi virtute pollent, caloremque nativum roborant, & difflationem materiæ vitioſæ per poros apertos, quos ſimul laxant, procurant. Et hæc in ſcholis medicis propriè dicuntur *paregorica*, ſi nempe in reliquis ita ſe omnia habeant: ſive per ſe formâ ſacculorum, ſive fomentorum, ſive pediluviorum &c. uſurpentur.

Pertinent huc in ſpecie *nervina*, quæ balſamicâ ſuavi ſuâ vi grata cerebro, & partem demulcent, & acorem ac acrimoniam præternaturalem tollunt; ſeu *ſpirituoſa*, ſic 🜈i ſolo dolores ſæpe abiguntur: ſic ▽ magnanimitatis, ∽ lumbricorum cum 🜈i, licet paullò debilior, officium facit. Sive *oleoſa*, ſic 🝆 ſaponis Veneti, ceræ, carminativa, & ipſa quoque cocta varia, chamæmeli, anethi, huc ſpectant: ſive *urinoſa*, ſic ∽us ⊖ ✱ci vel per ſe vel cum 🜈i, quem falſò inde coagulari ſibi finxerunt hactenùs, dolores ſopit: ſic ∽us C. C. lumbricorum volatilis, & ſimiles, quàm optimè ſolantur dolores partium nervoſarum, vel membranoſarum omnium. Sive *mixta*, tale eſt linimentum noſtrum nervinum ex ▽ magnanimitatis, ∽u lumbricorum volatili, & C. C. vel ✱ci conjunctim, laudatiſſimum.

Et hæc quidem conveniunt in doloribus omnis generis, non tamen uno modo, neque partibus omnibus.

Sic membranoſis partibus & articulis magis proſunt ſpirituoſa, & digerentia, minùs pinguia, medio modo emollientia. Sic emollientia magis conveniunt, ubi viæ ſimul laxandæ, ut in calculo & inflammationibus, quæ ad ſuppurationem tendunt; digerentia & ſpirituoſa, ubi magis diſcutiendum. Sic repellentia magis locis tutioribus & ſiccioribus, v. gr. capiti; minùs molliibus & humidioribus, mammis. Cùm itaque magna ſit horum latitudo, benè ſunt diſcriminanda, & pro partium & affectuum naturâ varianda anodyna, quo ipſo prudens medicus ab empiricis & vulgo differt, qui omnibus omnia applicant, nullo habito reſpectu, & adeò, dum prodeſſe volunt, longè magis nocent.

Notabimus verò porrò pro horum explicatione,

 1. *Opium*

1. *Opium plùs internè, quàm externè convenit*, non, quòd in hunc modum non poſſit applicari; verùm, quia cauſam magis reſpicit priori illo caſu adhibitum. Et, ſi inter topica ſimul recipitur, non aliâ ratione agit, quàm demulcendo, digerendo, emolliendoque, & partem effluviorum ſuorum cum ſanguine communicando. Reliqua verò recenſita extrinſecùs magis uſurpantur.

2. *Narcotica*, præterquàm actu frigida, *non auferunt ſenſum partis, extrinſecùs adhibita: non repellunt; ſed diſcutiunt, emolliunt & digerunt*. Falſa enim hæc fuit hypotheſis veterum, narcotica frigida ſtatuentium, unde arbitrati ſunt, eorum applicatione ſenſum quaſi partis intercipi, auferri & emori; id quod tamen contra experientiam eſt omninò; hinc enim opium applicatum, & per 24. horas ampliusque geſtatum, tantum abeſt, ut ſenſum auferat, ut potiùs emolliat. Hinc hyoſcyamus quoque cum lacte coctus dolores ſcorbuticos eximiè ſolatur: quam in rem elegantiſſimum exſtat experimentum apud *Drawitium tract. de ſcorbuto*, aſt emolliendi ſuâ & digerendi potiſſimùm vi, unde emplaſtrũ de hyoſcyamo vidimus non ſolùm inſigniter profuiſſe doloribus; verùm etiam diſcuſſiſſe, &, pro re natâ, ſuppurationem promoviſſe. Par ratio eſt cicutæ, unde früſtrà eſt, quod à quibusdam objicitur, cicutæ, ſeu emplaſtri de cicutâ uſum non eſſe tutum in ſcirrho lienis, quòd magis congelet. Eliminanda hinc illa hypotheſis è foro medico, & tamen negandum non eſt, ſulphur, quod narcoticum vocant, in his ipſis reperiri, quod extrinſecùs quoque cum ſanguine communicatur ex parte.

3. *Narcotica & anodyna externa per ſe dolores, per accidens vigilias ſedant*; ipſa verò, præterquam papaveracea, pro ſomno ciendo non ſunt in uſu æquè; utrumque verò opiata faciunt. Uti enim dolores excitant vigilias, ita illis ablatis & ceſſantibus hæ quoque unâ quaſi fideliâ auferuntur. Aſt cicutam, hyoſcyamum, mandragoram, interiùs propinare hodiè religio debet eſſe medico. Gaudent enim ſulphure impuro, indigeſto, naturæ inimico, non blando.

Unde ad interna quoque digrediemur jam, & præmittimus

4. *Ano-*

4. *Anodyna & narcotica tantùm differre gradu; non verò omnia anodyna, nec narcotica, eſſe hypnotica.* Senſûs enim ligatio, quæ propriè eſt narcoſis, ſi de internis medicamentis prædicetur, debetur ligationi ſpirituum animalium, quò minùs influant; ſed vapore narcotico quaſi vinculo quodam detineantur, adeoque quæ (interna) ſunt anodyna, doſi auctâ narcotica fieri poſſunt, & narcotica vice verſâ doſi minore fiunt anodyna.

5. Attamen, *ſunt quædam anodyna, quæ non æquè ſunt narcotica,* quæ nempè acrimoniam quidem humorum mitigant, & conſequenter dolores auferunt, & per accidens quoque interdum ſoporem cient; attamen ſomnum intentione primariâ non efficiunt, e. gr. ſulphura anodyna, vulgò narcotica dicta, metallorum & mineralium, quale eximium latet in cinnabari nativâ de quâ effectus vidi aliquot notabiles, conquieviſſe inde dolores dentium, capitis, nervoſarumque partium aliarum, unde in omnibus doloribus gravioribus conveniunt cinnabarina, quæ tenſionem & vellicationem membranoſi generis tollunt, acorem & acrimoniam, ſiqua adeſt, abſorbent & præcipitant adeoque his ipſis ſunt convenientiſſima, v. gr. arthritide, pleuritide, calculo, &c.

Ut verò de Modo Agendi ſomniferorum in ſpecie, ſeu narcoticorum horum in genere, & inprimis opiatorum, meliùs conſtet, dicimus, eum conſiſtere non in ſale, nec Mercurio; ſed ſulphure, & quidem 1. blando, 2. facilè reſolubili. In ſulphure quidem, unde inflammabilitate, pinguedine, odore, &c. opii, croci, & ſimilium id patefit: item ab oleo, quod per deſtillationem elicere facile eſt: blando verò, ut removeamus omnia illa ab interno uſu, quæ tali non pollent, ſed immaturo, indigeſto, fœtido, naturæ inimico, non obſtante, quòd hæc ipſa ſoporem, imò lethum inferre hoc ipſo apta nata ſint. Reſolubili verò, tùm in ſe, tùm ratione corporis: in ſe, quatenùs unà gaudent vel ſale volatili, ut opium, crocus, unde reſolutio eorundem in ventriculo, ſeu exhalatio, evaporatio citior oritur, & facilis in ſanguinem communicatio; vel aquoſo vehiculo, ut emulſiones, 🜄, notum enim eſt, hiſce potiſſimùm duobus ſulphur recludi, expandi & reſolvi, & conſequenter activi-

Digitized by Google

tatem ſuam conſequi. Hinc in genere narcotica & hypnotica pollent ſulphure magis vel minùs vaporoſo & reſolubili, ſive mucilaginoſo, quale in hyoſcyamo occurrit, ſive aqueo, ſive ſuperficiario, ſive immerſo, ut in lactucâ, cujus ſuccus lethalis ſcribitur; quem tamen noxium conceſſerim, lethalem nolim dicere, item ſolano, cicutâ, vino, cereviſiâ; ſive ſibi magis relicto, puro, & oleoſo, ut in ∇ſ, croco, opioque viſendum eſt: inprimis verò emulſionibus papav. ſem. 4. frig. maj. & min. &c. cum aqueis humectantibus. Ad quem ordinem & claſſem ſingula alia quoque poſſunt referri, quæ ſpiritus turbant, & vaporoſis ſuis effluviis eosdem inebriant, ac torpidiores reddunt.

Hoc ipſum itaque ſulphur reſolutum in corpore ſeroſis aqueis & ſalinis particulis *ἀναθυμιάσεις* de ſe emittit & exhalat, quæ cum ſero commixtæ ad cerebrum feruntur, cujus pori hinc blandè vel fortiùs obſtruuntur, & ſomnus obrepit, ſpiritibus animalibus non tàm peſſundatis, venenatis, exſtinctis & deſtructis, quod vult *Verulamius* & *Williſius*, quàm obnubilatis, ut ſui juris ampliùs non ſint, neque liberè motitentur, functionibusque ſuis præeſſe queant. Hinc uti duo hæc perpetuò ad ſomnum requiruntur: ſerum blandum, mite, & ſulphur ſuave, vaporoſum, ipſi immerſum, etiam in ſtatu naturali: ita regula eſt tàm vera, ac ſol in meridie lucet, opium non operari, neque anodynum, vel potiùs narcoticum evadere, ſive ſomnum ciere, niſi ſerum in ſanguine ſit proportionatum: unde ſtatuimus, ſerum eſſe vehiculum tùm alimentorum, & in ſpecie ſulphuris alimentoſi, emulſionis chyli; tùm medicamentoſi opiati, & in genere omnium medicamentorum.

APPLICANDI denique ANODYNA MODUM ſubnectimus:

I. *Nullum ex anodynis illuſtrius eſt opio.* Hoc omnium primum & ultimum, quo ſolo, ſi noverit legitimè uti, contentus eſſe poteſt medicus. Stat ſua laus aquis hypnoticis vegetabilibus & ſulphuribus mineralibus, ſive ⦶li, ſive aliorum, anodynis: nullum præcellentius eſt ipſo opio ritè parato, unde non injuriâ in genere *Williſius* & alii medicinam non carere poſſe hoc nepenthe aſſerunt: in ſpecie verò *Silvius* dicere ſolitus eſt, ſe malle

malle non eſſe medicum, quàm opio carere, & *Platerus*, referente id nobis *B. Rolfincio*, dixit aliquando per hyperbolen, ſe poſſe opio ſuo in vitâ ſervare rotâ confractum, innuens, nullum quaſi dolorem eſſe, qui huic non cedat. Hinc adeoque opio tutò non ſolùm licet uti; ſed idipſum eſt perquam neceſſarium.

2. *Dolores ſiſtit opium, non palliativè; ſed revera.* Nimis religioſi in hoc ſunt medici quidam, qui ſemper cauſam, cauſam, auferendam eſſe inclamitant, & contra methodum eſſe, ſymptomati dolori medelam præſtare opiatis, ad leve momentum duraturis; aſt, omninò & acrimoniam humorum apprimè demulcet opium, & in centro quaſi detinet materiam morbificam, ac naturæ quietem concedit: unde, quòd non conſtanter æquè & penitùs dolores ſedat, id ipſum non tàm medicamento, quàm copiæ & acrimoniæ morbificæ adſcribendum eſt, cui aliis quoque præſidiis κεινωτικοῖς omninò ſubveniendum eſt.

3. *Vigilias ſedat opium*, & *ſomnum ſuavem conciliat*, modò non oriantur à nimiâ ſiccitate, quo caſu per ſe data non proſunt; ſed cum humectantibus optimè, ita, ut hoc modo per inſigne quaſi ſtrategema & demulceatur cerebrum, & ſopiatur, præcipuè in ſenibus, & aliàs, ubi à ſiccitate nimiâ, lymphæ defectu, acore, indiſpoſitione oriuntur. Unde capitiluvia, pediluvia, &c. huc ſpectant, ut & alia opiatorum vehicula, & illorum vim promoventia: quam in rem elegans locus eſt apud *Heer. obſerv. 2.*

4. *Fluxionibus ſeri & ſanguinis nil magis æque medetur, ac opium.* Hinc in hæmorrhagiis narium, uteri, ſputo ſanguinolento, diarrhœâ, dyſenteriâ, febribus catarrhalibus incraſſat & coquit, moderaturque & refrenat, ut impetus humorum irruentium quaſi ſiſtatur, ligeturque: neque obſtat, calidum eſſe opium, cùm hoc ipſum non primis qualitatibus; ſed τρόπῳ τῆς μίξεως ſit adſcribendum,

5. *Uti verò humoribus magis tenuibus, volatilibus, aqueis, acribus, fluxilibus convenit: ita craſſis, viſcoſis, pituitoſis & fixis minùs,* illos enim magis compingit & incraſſat: hinc & in hydrope confirmato nocentiſſima ſunt opiata, & mors illis hoc ipſo maturatur, major enim eſt copia, major reſtagnatio. Unde in genere quoque notandum: *Ubicunque maxima humorum eſt copia & reſta-*

 gnatio,

Digitized by Google

gnatio, ibi opiata potiùs nocent, quàm proſunt, nam motum eorum refrenant magis, non fluxiles reddunt: hinc in affectibus pectoris, ſi copia humorum major bronchia pulmonum obſtruat, & expectorari geſtiat, e. gr. in pleuritide, aſthmate, &c. opiata ſuffocationem promovent: idem in tuſſi, doloribus ventriculi, & aliis valet.

6. *Ubicunque ſerum deficit, vel non dandum, vel non niſi cum humectantibus; in malignis verò non niſi cum bezoardicis.* Hinc in vigiliis ſenum, niſi blanda demulcentia interponantur, fruſtrà uſurpatur, & annotante *Sim. Paulli*, & teſtante experientiâ, tunc potiùs ſpecies diambræ, diamoſchi dulces, & ſimilia ſpiritus refocillantia cum humectantibus, uti vino, &c. conveniunt: quâ de re notabilis locus legi meretur apud *Heer. obſerv. 5.* In malignis verò omnibus, ubi dolor intenſior, fluxus gravior, operatur tutò & jucundè; ubi verò vigiliæ ſolæ peccant, cum emulſionibus & bezoardicis aliis commodè jungitur. Quin ipſum quoque inter alexipharmaca non infimum obtinet locum, exemplo theriacæ, elect. diaſcordii Fracaſt. & omnium ferè aliarum antidotorum, unde & antidoti liquidæ, ℞æ & miſturæ bezoardicæ commodè, ſed refractâ doſi, maritantur cum anodynis.

7. *Opium optimum eſt ſudoriferum.* Vix ullum habemus tàm certum, tàm fidum, & propriè quaſi dictum diaphoreticum, quàm eſt opium: imò, quæ verba ſunt *Walæi meth. med. pag. 65.* quòd theriaca, quòd Mithridatium ſudorem moveant, hoc omne ab admixto faciunt opio. Expertus ego ſum, *addit*, hæc duo electuaria, abſque opio præparata, ſudorem prorſus non moviſſe. Unde non ſolùm, ſi dicto modo cum aliis miſceatur ſudoriferis, illorum virtutem intendit; verùm etiam per ſe datum utplurimùm blandum & roſcidum ſudorem conciliat. Adeò ex omnibus hiſce patet, maximum reſpectum circa opiatorum uſum habendum eſſe ſeri, ut ſulphur ejusdem reſolvi, & in actum deduci queat.

8. *Doſi præſtat deficere, quàm excedere, medio tutiſſimus ibis.* Duas annotavimus in praxi neceſſarias eſſe circa opii præbium diſtinctiones: 1. *Inter doſin ordinariam & extraordinariam.* Opium

ſibi

ſibi relictum, nec additione non neceſſariâ ſuperfluorum ingredientium diffuſius redditum, poteſt à tertiâ, quartâ grani parte ad ℥j, ij, vel iij commodè dari ordinariè, & hoc modo officium abundè facit, modò gradus quoque ipſius indicantis & proportio reſpiciatur ſedulò. Urgentibus verò doloribus, feri qualitate aliâ, nimis acri, &c. conſuetudine & ſimilibus circumſtantiis variantibus, adſcendi poteſt longiùs, quæ extraordinaria non faciunt regulam. 2. *Inter intentionem primariam & ſecundariam.* Sic ſi ſolùm dolorem, vigilias, fluxiones urgentes ſiſtere velimus, majori opus eſt doſi; ſin in conſortiũ adſciſcamus alia, humectantia, adſtringentia, abſorbentia, febrifuga ante paroxyſmum, &c. minori, acciſâ, & quaſi dimidiatâ, vel tertiatâ, ut ita loquar, doſi datur: primariâ intentione ordinariè circa noctem, & rariùs; ſecundariâ etiam aliis temporibus, & frequentiùs. Natura enim hîc quàm maximè paucis contenta, unde præſtat bis benè & tutò, quàm ſemel malè.

9. *Præſtat ſæpe uſus internus præ externo*, ibi enim eſt proxima ad illud actuandum via, hîc longinqua, minusque tuta vel fida. Sic in doloribus dentium præſtat ſæpè internè adhibere pilulam opiatam, quàm ipſi denti; licèt non credam æquè, ab uſu hujus, uti autores memorant, quosdam mortuos. Sic opium in clyſteribus præſtat omittere, præcipuè cùm omnes clyſteres inteſtinis ſint peregrini, neque hoc modo humorum acrimonia vel dolor æquè cedat, ex falſâ hypotheſi activitatis opii enato errore. Aliàs in emplaſtris & unguentis tutò quidem adhibetur; ſed longè alia eſt ibi agendi ratio, ut ſuprà jam diximus.

Sicuti Blaterat Zacutus.

10. *Viribus ſummè debilibus non conveniunt opiata.* Proſunt quidem utique laſſis, dolentibus, & reficiunt debiles; ſed, ſi ad ſummum deducta ſit debilitas, minùs. Sic morte inſtante data, eam accelerant magis. Sic nec partu inſtante, dolor enim ille potiùs eſt promovendus, quàm ſiſtendus, licèt ex alio fundamento danda. Sic in ſpecie ventriculi imbecillitati cautiùs adminiſtranda. Deinde hoc quoque intelligendum eſt de doſi primariâ, non item acciſâ, quod ſi obſervetur, longè faciliùs reſtaurari queunt & recuperari vires, reparato ſomno, delenitis doloribus, refracto humorum impetu. Contrà, ſi exhauſtis ſpiritibus

bus

bus & conſumtis reliqui, qui ſuperſunt, ligentur, ſtatim mors adeſt.

LIB. II. SECT. II. CAPUT XI.

De errhinis & ptarmicis.

Ἐκπτυστικὰ, & EXPECTORANTIA, ſeu arteriaca, ſub pectoralium & pnevmonicorum claſſe recenſita ſunt, unde cramben recoquere non eſt opus.

Ut verò MODUS AGENDI ERRHINORUM & PTARMICORUM evidentiùs pateſcat, præſupponimus,

1. *Membranam narium eſſe maximè ſenſilem*, tùm quoad ſenſum odoratus proprium, qui admodùm eſt delicatus, & ſubtiliſſima quoque effluvia & ἀναθυμιάσεις percipit & dijudicat, eò diffuſior ſenſus & quaſi immaterialis, quò aer ipſe univerſalis eſt protector microcoſmi & vector ſpecierum odorabilium, unde nolentes volentes cum aere attrahere eaſdem oportet: tùm quoad communem tactus ſenſum, qui, ut univerſalis eſt, & inter externos communis, ita propriis omnibus ſeorſim jungitur, quod utrumque in ſpecie hoc loco occurrit.

2. *Narium meatum excerniculum eſſe transmiſſioni ſeroſitatum ſuperfluarum*, maximè ſalinarum, *dicatum* in genere: non quidem continuo ſtillicidio, id enim perquam moleſtum fuiſſet; ſed paulatinâ collectione, quatenùs humores ſeu lympha ſuperflua è glandulis, vaſis ſalivalibus, & lymphaticis, (neque enim vaſa ſalivalia ſunt alia, quàm lymphatica,) ſenſim transſudantes, appulſu aeris in cavernoſis narium ductibus craſſeſcunt & in mucum fatiſcunt.

3. In ſpecie, *nares eſſe emunctorium capitis & quaſi ventilabrum.* Quidquid enim quidam ſpeculati ſint in contrarium de uſu hujus excerniculi publico, & totius machinæ uſui dicato, per veterum tamen dogmata ac emunctiorum recentiorum experimenta certum eſt, fontem quidem catarrhorum non eſſe quærendum in cerebro; ſed in ſanguinis individuo comite, ſero; è ſanguine enim & ſero, ſeu calido & humido, conſtant vitæ ele-

tæ elementa; ſeu lymphæ abundantiâ, ſecretæ per glandulas, in quas vaſa lymphatica vel abeunt, vel inde emergunt: aſt cerebrum immune planè eſſe in catarrhis, privilegiatum & exemtum, eſt negare, illud perlui ſero, quod abſurdum eſt; illud non affici in coryzâ & aliis catarrhis, quod contra experientiam, de quo latiùs hîc non eſt dicendi locus.

Hæc jam applicabimus ad ptarmicorum agendi modum & uſum, primum ad priorem, duo reliqua ad poſteriorem. Activitatis enim & energiæ ratio ptarmicorum & errhinorum conſiſtit in ſolicitatione, irritatione, ac vellicatione membranæ narium ſenſilis, non ab internâ; ſed externâ cauſâ. Hinc

1. *Quæcunque afficiunt proximiùs, & quaſi titillant membranam hanc, illa vel ad excernendum ſimpliciter, vel cum ſternutatione ſolicitant.* Sic non ſolùm intruſa penna vel ſimilia ſternutationem excitant, uti & vel ſolus ambientis aeris inæqualis afflatus, v. gr. ſi prodimus è domo in publicum, & ſubimus calorem ſolis, id ipſum præſtat; verùm etiam inprimis omnia illa cum naribus communicata, quæ ſalinâ tùm fixâ, ut ⊖lum album cum ▽ majoranæ; tùm volatili, qualitate & acrimoniâ pollent. Sic omnia acria ſunt ptarmica, omnia purgantia ſunt ptarmica.

2. *Quò magis ſibi relicta ſunt ſalina ſpicula, eò magis ſtimulant; quò minùs, & magis obtuſa, eò minùs: illa* dicuntur ptarmica, id eſt, quæ cum ſternutatione id præſtant; *hæc* errhina, quæ ſine eâdem liquant. Hinc quò ſpicula ſalina intimiùs pervadant & accedant membranæ narium, ptarmica in pulvere ſeu formâ ſiccâ operantur magis, & tantò quidem fortiùs & validiùs, quò ſubtiliùs pulveriſata: hinc ptarmica humida & errhina inprimis mitiora ſunt. Hinc non differunt, niſi gradibus, &, ut errhina majori doſi data fiunt ptarmica, ita vice verſâ ptarmica minori quantitate fiunt errhina.

3. *Accedente hoc modo ſalino hoc ſtimulo ad membranam narium, tria ſequuntur & accidunt: 1. irritatio ipſa, 2. fuſio & liquatio humorum,* qui ſtimulo hoc quaſi ibi infixo affluunt, & funduntur, quæ utraque præſtat vis ſalina. 3. *Excretio ipſa* cum vel ſine motu fortiori.

Quoad Utendi Modum præter ea, quæ ſuprà jam hanc in rem dicta ſunt, notabimus,

1. *Errhina magis pro narium uſu domeſtico; ptarmica magis pro aliis partibus uſitata ſunt.* Sic errhina uſitatiſſima & commodiſſima ſunt in coryzâ, ozænâ, polypo, pro mundificatione, diſſipatione, & libero commeatu præſtando; minùs verò eodem caſu ſternutatoria conveniunt, ſicuti etiam eadem locum non habent, ſi diſpoſitio ad hæmorrhagiam adſit: quo ipſo caſu errhina quædam iſchæma, v. gr. è laccâ Florentinâ, crepitu lupi, atramento communi, & ſimilia in uſu ſunt: facilè enim titillante hâc ſuâ vi & ſtimulante excretionem moliuntur. Unde in genere addimus, ceu poriſma: *Ubicunque narium parietes firmi non ſunt, ibi à ptarmicis abſtinendum.*

2. *Sternutatoria caput levant*, tùm in genere, tùm in ſpecie, evacuato corpore, & ſublato antecedente fomite, ut in communi ſuperiùs diximus, & hoc loco repetimus, *evacuationes particulares poſtponendas ſæpè eſſe univerſalibus*, quando nempe id moram patitur, alia enim feſtinationis eſt ratio. Hinc in ſpecie non conveniunt nimis copioſâ, repletâ & reſtagnante materiâ: hinc in catarrhis ipſis ſeu coryzâ præſtantius porrò eſt magis in ſtatu & declinatione, quàm principio eadem propinare, ubi omnia adhuc cruda.

3 *Sternutatoria excitant facultatem, externunt, ſtimulant:* hinc inprimis tunc locum habent, ubi quaſi ſopita facultas in machinæ corporeæ ſpeculâ deficit, & torpida recumbit: unde in apoplexiâ, lethargo, & affectibus ſoporoſis egregiè proficua ſunt. Hinc materiam in naribus contentam, neque ſatis & ſufficienti quantitate egredientem corrigunt, ut fluxiles fiant hactenùs quaſi torpidi humores. Hinc ſtimulant eadem, ubicunque eo eſt opus: hinc, ubi eadem adhibita non operantur, facultatem emortuam ſæpè notant, quod in puerperâ & aliàs vidi, quatenùs ſtimulum non ſentit ampliùs natura, nec actuat, quod ipſum etiam in aliis, v. gr. purgantibus, valet.

4. *Sternutatoria epilepſiam & ciere & propellere poſſunt. Prius* patet exemplis eorum, qui continuato ſternutatoriorum pulverum uſu (in ſcotomiâ, auditu difficili, &c.) epilepticos motus induxerunt, notante *Schenkio in obſervationibus*; *alterum* verò per ſuprà dicta, quod caput levent, & diſcutiant ipſi moleſtum inſidens.

Digitized by Google

dens. Hoc loco & occaſione, quod obſervavi ſæpiſſimè in epilepticis, recenſebo: ſcilicet ſternutatio modò præcedit epilepſiam, modò ſequitur: ſive, vidi in aliis prius, quàm paroxyſmus ingrueret, aliquot ſternutationes, & eas quidem ſatis frequentes 20. 30. 40. ſæpè præceſſiſſe, idque uno vel altero die, imò horis, ut etiam lactis calidi applicatione mitigare eaſdem neceſſum fuerit; ſubſequente poſtmodùm ingrato & inviſo morbo, quatenùs nempe quod acrimoniam ſuam in meninges interius vibrat, & cerebri hinc tectum concutit, per conſenſum ad exteriores quoque partes ipſosque narium nervos pervenit, ac à naturâ quaſi excutitur, ut hoc ſe liberet infauſto malo. In aliis vidi paroxyſmum finitum hâc ipſâ exploſione & excretione ſaltim intentatâ, quatenùs reliquum, quod ſubigere poteſt natura, & ad extimos fines eliminare, citra vellicationem majorem, aliò amandatur & exploditur: unde patet, quantum natura in hoc morbo patiatur, & quàm ſui provida ipſum abhorreat. Hinc cùm, duo ſi faciant idem, non ſit idem, medicum quidem decet eandem adjuvare; ita tamen, ne noceat, nec lædat, adeoque providè admodum & circumſpectè his ipſis utendum, v. gr. 1. mitioribus, fortiora enim abhorret, &, ſi ipſa ſpontè fortiùs impellitur, coactè quaſi & invita id facit. 2. cephalicis, quæ ſimul gratâ & ſuavi *ἀναθυμιάσει* caput roborant, vel nervina ſunt, ut pulvis florum liliorum convallium, caſtoreum, ambra. 3. ſi æger abundet humoribus, nec adeò εὐαίσθητος ſit, quo caſu facili negotio malum inducitur à quovis irritante. 4. ſi magis in paroxyſmo affligat & obſervetur *ἀναισθησία*, vel detentio functionum principum, quàm convulſivus motus. 5. adeoque ad excitationem in paroxyſmo vel ejus declinatione. Hinc eſt, quod *Cælius Aurelianus lib. 1. tard. paſſ. cap. 4. p. 288.* negat, ſternutatoria convenire epilepticis.

5. *Ptarmica vertiginoſis minùs conveniunt.* Par ferè hujus eſt ratio, ac diximus de epilepſiâ. Turbant enim ſpiritus eadem, & excutere apta, & irritare: unde, uti à ſternutatione iteratâ vertigo quoque ſuboritur non rarò: ita non minùs in vertigine, præſertim eſſentiali & graviori, ab uſu horum fortiorum præcipuè, vel abſtinendum eſt, vel cautiſſimè cum iisdem mercandum.

6. *Partibus, quæ ad ſternutationem concurrunt neceſſariò, malè habentibus, eadem minùs locum habent.* Hinc præter ea, quæ jam de turbato ſpirituum ſtatu in epilepſiâ & vertigine diximus, minùs conveniunt in doloribus capitis Venereis, fracturis vel luxationibus coſtarum, ubi nihil magis ægris adverſum & contrarium fingi poteſt, quàm ſternutatio, pulmonum ulceribus, hæmoptyſi; imò in ipſis quoque abdominis læſionibus gravioribus, v. gr. herniâ umbilicali & inteſtinali cautiùs frequentanda: illa enim viſcera omnia concutiuntur ſimul, & hinc vel dolorem majorem, vel aliam læſionem à fulgure hoc microcoſmico patiuntur.

7. Inprimis *graviores oculorum læſiones ptarmicorum uſum limitant.* Uti enim nictitant in actu hoc & contrahuntur, neque minùs ipſa vaſa glandoſa vicina ad excretionem ſtimulantur ſimul, unde in lachrymas quaſi ſolvitur oculus: ita in ophthalmiâ, vulneribus & doloribus graviſſimis vix patitur hunc luſum tàm delicatum membrum.

8, *Ptarmica ſingultum ſedant*, non ſolùm ob conſenſum inſignem capitis cum cerebro & pulmonibus; verùm etiam ob diſcuſſionem flatulentæ ſeu vaporoſæ materiæ, parietibus ventriculi ſuperioribus quaſi incarceratæ & coagulatæ, inductâque unà compreſſione & calefactione ejuſdem fibrarum & villorum. Occurrit hanc in rem, præter *Coi* teſtimonium *ſect. 6. aph. 13.* elegantiſſimus locus apud *Platonem in ſympoſ. pag. 320. & ſeq.* ubi, cùm alia remedia propoſita fuiſſent, ſpiritus cohibitio, oris collutio cum aquâ frigidâ, addit pòſt conviva Ariſtophanes, ſedatum eſſe ſingultum, non tamen priùs, quàm ſternutamento repreſſum, etenim ſimul ac ſternutatio fuerit exorta, continuò deſtitiſſe.

9. *Ptarmica partum promovent.* Reverà, quod de vomitoriis dicit *Galenus, l. 6. epid. comm. 1. aph. 6.* eadem locum habere, ubi morbus quaſi vecte eſt expellendus, id ipſum quoque valet de ſternutatoriis. Effectu enim licet æquivoco, reverà tamen compreſſionem muſculorum abdominis verſus inferiora juvant, unde poſitu fœtus legitimè habente, ipſis emeticis, aliàs hoc caſu commendatis, palmam reddunt dubiam.

vide Hippocrat. l. 5. Aphoriſ: 35

10. *Ha-*

10. *Humoribus debentur ptarmica*, educunt enim ſerum reſtitans circa promontoria cerebri, & ſimul, quidquid ibi hæret, unà diſcutiunt. Hinc magis à cauſâ poſitivâ oriundis affectibus quàm privativâ, in uſum trahenda: hinc in ſiccitate nimiâ, & bilioſis ac melancholicis minùs conveniunt, magis verò pituitoſis, quibus ſerum copioſius eſt, cujus coagulationem, ſi quid aliud, mirum quantum prohibent eadem.

Lib. II. Sect. II. Caput XII.

De maſticatoriis & ſalivantibus.

Ut abuti ſolet natura ipſis faucibus ac palato, pro excernendo ſputo & ſalivâ, ſi ſuperabundet, aut vitioſâ qualitate infecta ſit: ita & medicum armamentarium talibus præſidiis pollet, quæ affluxum ad fauces promovent, & reſtitantem ibidem lympham ſerumve eliminant.

Nominantur ab uſu MASTICATORIA, ab effectu ἀποφλεγματίζοντα, item SALIVANTIA, quòd ſerum ſive coagulatum, quod phlegma vocant, ſive fluidum illuc vocent. Licèt enim aliàs vulgo ſoleant ſeorſim proponi hæc ipſa, maſticatoria ſcilicet & ſalivationem excitantia; nobis tamen commodius videtur, cùm magis & minùs non varient ſpeciem, ſub unâ eâdemque claſſe ea locare & proponere, utraque enim alliciunt & evacuant humores, promovent fluxilitatem, motum & exitum.

Quoad Agendi Modum, ut is penitiùs nobis innoteſcat, præſupponimus

1. *Evacuationem hanc ipſam deberi ſero*, ſive id lympham, ſive ſalivam, ſive ſputum, ſive pituitam, alióve modo vocemus.

2. *Glandulas eſſe ſeri receptacula*, ſeu diverticula cribra, canaliculos, remoram, alveum, adeoque id ordinarie hoc medio partim colligi, partim excerni, pro corpori uſibus; extraordinariè verò, id eſt, præter naturam, moras nectere, copioſiùs colligi, in coagulum vergere, & tumorem excitare.

3. *In labiis & faucibus non ſolùm infinitas miliares glandulas, ſed & majores*

jores plures reperiri, quæ partim mille poris in os hiant, & de ſe dimittunt liquorem, partim ramis ſeu ductibus reverà lymphaticis, ab uſu verò ſpeciali, vel nomine potiùs, ſalivalibus dictis, è quibus pro lymphæ ipſius quantitate, ſeu copiâ & abundantiâ, qualitate, tenuitate, fluxilitate vel coagulo, tenacitate & motu plus minus ſubinde in os ſtillat liquoris, uſibus ſuis debiti.

4. Adeoque *os ſeu palatum indifferens eſſe ſpatium*, quod recipit liquorem ſtillantem, eumque diſpenſat vel deglutiendo, quòd in menſtruum fatiſcit ciborum, vel exſpuendo.

Hinc dicimus, maſticatoria hæc, ſeu per ſalivam evacuantia, operari tùm *aperiendo repagula*, & *dilatando poros*, ut magis hient & à ſe dimittant, quod retinebant, qualia ſunt partim motu, partim calore id præſtantia: hinc ſi vel ſolus lapillus ſub linguâ agitetur, vel hæc ſola, lingua, copioſior quoque, & cum ſpumâ quidem, elicitur ſaliva. Hinc in febribus ardentibus pro ſiti levandâ ori inditur cryſtallus, ut frigore quidem actuali ſoletur ardorem & calorem, qui exhaurit quaſi omnem roſcidum humorem; motu verò eundem continuo ad os ſolicitet. Hinc maſtiche huic negotio commodiſſima, quæ & roborat glandulas, & grato odore palatum afficit, & rotundis ſuis particulis motitationi huic aptiſſima, unde ſolâ granulatâ maſtiche commodè ſæpe utimur, quæ intra paucas horas ad uncias aliquot, imò libram unam, ſi opus fuerit, ſputum elicit: imò, quæcunque maſticantur, illa etiam motu ſuo ſalivam promovent ſi adeſt.

Tùm *fundendo*, *liquando*, & *incidendo* humores ſeroſos, proximiùs circa faucium iſthmos reſtitantes, ut ad motum & exitum fiant aptiores, qualia ſunt calida & λεπτομερεία gaudentia, ſive *ſalina*, ut 🜕, lapis prunellæ, 🜕 ♁atum, & 🜕ſa in genere, hoc enim inſtar regulæ notari poteſt, 🜕oſa omnia, & in genere quoque ſalia ſerum maximè reddere fluxile; unde hæc ipſa minùs conveniunt, ubi ſerum motu peccat. Sive *ſulphurea reſinoſa*, particulis ſalinis volatilibus acribus remixta, ſeu magis explicita, ſeu implicita, unde huc pertinet tabacum, pyrethrum, cubebæ, lignum ſanctum; ſeu formâ ſiccâ, ſeu liquidâ, aquoſa, ut decocta, vel ſpirituoſa, ut aquæ apoplecticæ, v. gr. in aphoniâ, item eſſentiæ horum, & alia.

Tùm

Digitized by Google

Tùm *fundendo & proliciendo* eosdem humores in totâ ſanguineâ maſsâ, totoque adeò corpore, ut ad os appellant, ibidemque exitum inveniant, qualia in ſpecie ſunt *Mercurialia*, variis modis adhibita.

Horum equidem agendi modus in genere idem eſt & coincidit omninò cum reliquis, quatenùs nempe fluxile reddunt ſerum, & ad loca excretoria, nominatim fauces, id ipſum promovent: in ſpecie verò in Mercurio reperiuntur partes ſalinæ acetoſæ, & ſulphureæ volatiles, quæ receptæ intimiùs à calore actuantur, & in ſero ſeu lymphâ quaſi vehiculum acquirunt, quod hinc ad motum magis incitant, ſecernunt, & fundunt, ut irrequieto quaſi motu exitum ſibi quærat, eundemque in faucibus potiſſimùm, ceu maximè glandoſis, inveniat. Hinc Mercurius purgat & ſalivationem promovet, (quod ipſi quaſi proprium, ſpecificum, & peculiare eſt,) dum volatilem ſeu fumoſam naturam adhuc poſſidet, non item, ſi fixatus ſit in pulverem ſicciſſimum, quia calor vel ſtomachi, vel etiam membrorum externorum, ſi his illinatur, videtur nonnihil de fumoſâ ejus ſubſtantiâ reſolvere, quod ſenſim adſcendendo in tranſitu humores pituitoſos viſceribus impactos, pigros, & quietos inhærentes, ad motum incitet, & clementer provocet; quodſi fluxiles ſemel ſint facti à calore ſtomachi, vaſorum meſaraicorum, hepatis, aut aliorum viſcerum & membrorum, juvantur & expelluntur; de quo videri poteſt ulteriùs hæc ſcribens *Majer. de 7. mont. planetar. cap. 1. pag. 82.* Neque id mirandum eſt, cùm leni calore idem Proteus cum metallis libenter amalgametur, coeat & coaguletur; cur non vitali noſtro calori longè teneriori communicatus, & delicatis carnibus affrictus ad oſſa quaſi usque penetret, & poris inſinuatus efficaciam ſuam manifeſtè admodùm prodat?

Hinc ſalivatio Mercurialis in tantum emicuit, ut etiam è particularibus evacuantibus velut exſuta ad univerſalium claſſem elata fuerit, quod eatenùs concedi poteſt, quatenùs conſecutione quâdam totum corpus ad has ſyrtes ſuam deponit uliginem, unde apophlegmatiſmus univerſalis dici poteſt. Attamen non niſi ſecundùm quid hanc claſſem ſubit: proinde etiam conſul-

conſultum eſt, ut ante ſalivationis hujus uſum & exſecutionem toti proſpiciatur pro re natâ vel purgantibus, vel venæſectione, vel, quod potiùs valet, utrisque.

Quoad MODUM APPLICANDI hæc ipſa, latus ſe offert diſſerendi campus. Dicimus

1. *Maſticatoria alia eſſe propriè, alia impropriè dicta*; *illa*, quæ maſticatione mediante eliciunt humores; *hæc* quæ citra eandem, ſive ori indantur, ſive minùs. Hinc in praxi certè latior eſt horum apophlegmatiſmorum campus, quàm maſticatoriorum. Sic in aphoniâ & linguæ paralyſi liquida è ſinapi, theriacâ, confectione anacardinâ, ▽ apoplecticâ, ∽✳ci, pro frictione & collutione conveniunt. Sic ad dentium dolorem non ſolùm radix pyrethri maſticata; ſed etiam extracta ex eâdem, cum ligno ſàncto & caryophyllis. Tinctura noſtra odontalgica in iisdem doloribus eſt expertiſſima, & aliis quoque ſcopis abundè ſatisfacit; ut alia taceamus, quæ per ſe jam patent ſatis. Unde, ut rectè ſub eâdem claſſe maſticatoria & apophlegmatiſmi comprehenduntur: ita & his addita ſalivantia.

2. *Maſticatoria & cauſam conjunctam evacuant, & viciniam levant*, ſeu, debentur præcipuè ipſius oris illis vitiis, in quibus ſerum reſtagnat, ac quietem meditatur, ſive συναθροισμὸν, ſive ῥευματισμὸν leniorem. Sic id ipſum fit in dolore dentium, uti jam diximus: quem in finem quoque empirici ſolent lapides artificiales dentibus imponere, unde ceu poriſma elicere poſſumus, *maſticatoria ſeu apophlegmatiſmata in odontalgiâ eſſe laudatiſſima.* Sic ad gingivas ſcorbuticas & tumentes glandulas habent eximios ſuos uſus, illâ adhibitâ limitatione, quam jam addemus. Sic porrò, quod alterum axiomatis membrum erat, maſticatoria præcipuè caput levant: quo loco memorandus eſt apophlegmatiſmus Laurembergii, ſeu globuli maſticatorii ad memoriam confortandam, deſcripti *ab eodem in arte mnemoneuticâ à nobis editâ. Illa* leniora ſunt, *hæc* fortiora.

3. *Maſticatoria magis* στάσει *& quieti ſeri copioſi debentur, quàm motui extravaganti & ſero deficienti.* Hinc conveniunt in omnibus capitis affectibus frigidis, apoplexiâ, lethargo, memoriæ debilitati à pituitoſo humore, ubi nempe ſerum in coagulum abit & pitui-

pituiteſcit; aſt, ſi acrimoniâ tenui & fluxilitate peccet, minùs locum habent, præcipuè, ſi extravagetur. Hinc non conveniunt in diſpoſitione phthiſicâ, non in hecticis locum habent, quibus vel deficit, vel infectum eſt: non niſi cautè in aſthmate, non in hæmoptyſi, & catarrhis ſalſis ad pectus depluis: non in picâ & diſpoſitione ad vomitum; uti enim vomitum præit ſalivatio ſpontanea: ita artificialis hæc afficere facilè poteſt ventriculum, ut in actum deducatur imminens.

4. *Maſticatoria fauces ſuaviter afficiant, non lædant.* Hinc, ex præcepto *Heurnii*, grati ſint odoris & ſaporis, quia in ore tenenda; ingrata verò fœtidaque exſulent: hinc minùs conveniunt in dentium & gingivarum debilitate, niſi roborandi fine; minùs in ore & faucibus exulceratis vel inflammatis, unde in anginoſis conſultius eſt ab iisdem abſtinere. Hinc etiam ipſa forma externa poteſt variari pro variâ intentione: pro eliciendâ lymphâ magis ſolidâ & maſticatoriâ, pro nervis reſerandis, gingivis & dentibus confortandis, liquidâ vel mediâ pulpoſâ magis formâ eligenda.

5. *Maſticatoria ptarmicorum ſupplementa:* ſeu, in iis affectibus, ubi ſternutatoria locum non obtinent, maſticatoriis ſæpe ſuus uſus eſt commodus. Uti enim mite violento in genere remedium ſubſtituere licet: ita in ſpecie multa ſunt, quæ ſternutatoria excludunt; maſticatoria verò & apophlegmatiſmos admittunt. Inprimis verò id valet in affectibus oculorum & narium: hæ enim partes, ut ſuprà monuimus, plùs patiuntur à concuſſione, quæ in ſternutatione concurrit, adeoque blandiùs tractari geſtiunt per ἀποφλεγματιζόντων.

6. *Salivatio Mercurialis in ſpecie internis & externis præſtatur, idque vel ſolo alterutro, vel utrisque conjunctim.* Omne id præſtat unicus Mercurius, & quidem interiùs præparatus; pro mitiori quidem uſu & frequentiori ☿ dulcificatus ad ℈ß, ℥xv. imò juxta quosdam ad ℈j. vel ʒß. propinatus, in bolo vel pilulis; pro violentiori verò & citiori ☿tus ruber, ab acrimoniâ ſuâ nimiâ per ▽am roſarum lotione factâ liberatione; quo caſu & per alvum & vomitum ſimul operatio conſequi conſvevit. Extrinſecùs verò id fit ☿rio crudo, quovis modo mortificato, inprimis

verò uſitata eſt inunctio mercurialis, quem in finem varia unguenta talia inventa ſunt, ut unguentum Neapolitanum, unguentum mercuriale *Rolfincii*; vel ſaltim cum unguento roſato ſubigitur ʒj. ad ℥j. & inungitur.

Si itaque & exterius fiat inunctio, & interius adſumatur idem, promptior inde ſubſequitur effectus; ſin alterutrum ſaltim adhibeatur, tardius & mitiùs operatur.

7. *Mercurialia ſalivandi fine nec in maſticatoriorum formâ, nec ſuffituum adbibenda, in emplaſtro verò & cingulo mitiora ſunt.* Non ut maſticatorium, quia mercurius dentibus & oſſibus eſt inimicus adeoque potentiſſimum quidem eſt maſticatorium, ſed non tutum, unde licet quidam ex mercurii dulcis ℈j. cum maſtichis ʒj & mellis quantitate ſufficienti faciant paſtillos maſticatorios, ſatius tamen eſt eos non imitari. Non in ſuffitu, quia in vaporem reſolutus nervis magis inimicus evadit, *vid. Rolfinc. Ord. & Meth. Comment. p. 593.* præterquam pro particulari uſu, vti v. gr. ad ulcera Gallica in membro virili chirurgis tales ſuffitus in uſu adhuc ſunt. In emplaſtro verò frequentiſſimè in uſu eſt tum ſalivandi tum reſolvendi fine, utrumque enim præſtat mercurius, ſi mitius operatur, reſolvit tantùm, ſi fortius, fundit & ſalivationem præſtat. Eo fine uſitatiſſimum eſt emplaſtrum de ranis Vigonis cum mercurio, aucto ſæpe, quantum lubet, mercurii pondere, quod in gummatibus gallicis & tumoribus glandularum, ac dolore laudatiſſimum eſt, & tubercula frigida eorundem alia diſcutit. In cingulo vel minor vel major apparatus adhibetur. Ille, ſi ſolùm extinctus viſcido quovis cum goſſypio in cinguli modum ſuendo redigatur. Vid. *Hö bſtett. Decad 3. caſ. 7. p. 248.* Hic, ſi alia addantur, quale eſt cingulum ſapientiæ *Rulandi*, innoxium medicamentum, ſi rectè utentem inveniat.

8. *Mercurius luis venereæ, binc & rebellium aliorum ῥιζοτόμος.* Utut enim tutior curandi hanc modus ſit per ſudationem, periculoſior per ſputationem; attamen ſi gravior ſit mali radix, evelli per hanc ipſam deſiderat; hinc ut morbis giganteis heroica debentur remedia, ita tum huic ſiphylidi κατ' ἐξοχὴν debetur

betur, & quoad totum affectum & quoad omnia quaſi ſymptomata, dolores, tumores glandularum &c. tùm in aliis, maniâ, epilepſiâ, podagrâ, locum habet, poſtquam deprehenſum eſt per experientiam, quoſdam lue venereâ infectos, & talismodi morbo correptos unâ adhibitâ ſalivatione ab utroque liberatos fuiſſe. Hoc ipſo tamen & alia non excluduntur, ſed inprimis ſalivatio præmiſſis univerſalibus, purgantibus, ſudoriferis, inſtituenda, & ſub finem etiam ſudorifera injungi debent. Obſervavi quendam podagricum robuſti ſatis corporis ab inunctione mercuriali liberatum, durante ſolatio per tres annos continuos, poſtmodum verò rediiſſe morbum, mitiorem tamen.

9. *Uſus externus* inunctionis vel *univerſalis* magis eſt, vel *determinatus*. Sic quidam cervicem, ſpinam dorſi, pectus, brachia, abdomen, crura, volas manuum &c. inungere jubent. Aſt conſultius eſt duo potiſſimum loca eligere, pro emplaſtris nucham, pro inunctionibus articulos extremorum. Hinc & in curandâ ſcabie interdum mercurialia commodè inunguntur articulis carpi, ſub axillis & ſub genubus, ex quo duo adhuc notamus: 1. remedia ſcabiei & luis venereæ ſunt communia, 2. mercurialia ſæpè nullam movent ſalivam, & tamen curant ſymptomata.

10. *Sputatione procedente frigus externum omne cavendum*; unde æger loco calido ſervandus, quin nec linteamina promiſcuè ſunt mutanda, ne nempe motus hic ullo modo interturbetur. Succedit verò ſputatio continuatâ inunctione & propinatione mercurialium, in aliis citius, in aliis tardius, v. gr. quarto, quinto, ſexto, vel ſeptimo die.

11. *Symptomatibus, quæ cientur, proſpiciendum.* Plura ea ſunt, unde etiam multi planè ſalivationem hanc rejiciunt. Oritur inde non rarò febris ſatis longa, ob turbationem ſanguinis & ſeri inductam, de quo vid. *Poter. l. de feb. c. 15. p. 18.* inprimis verò uliginoſum & faſtidioſum inducit fœtorem, dentium vacillationem, nigrorem, impotentiam etiam ad tempus adfert. Hinc ſi dentes vacillent, deſinendum; hinc ſi fluxus nimis continuetur,

Digitized by Google

nuetur, adſtringentia, & ipſa opiata addenda; hinc bilioſis eadem minus quàm pituitoſis convenit & cautè inſtituenda.

LIB. II. SECT. II. CAPUT XIII.

De aphrodiſiacis.

UT generatio actio naturaliſſima eſt, & ſpeciei productioni invigilat ac debetur, ita quoque ſub conſiderationem medicam commodè vocantur medicamenta illa, quæ ſemen augent, ſeu ἀφροδισιακὰ, & vi relationis ac contrarietatis, quæ id ipſum imminuunt.

Sunt verò hæc ipſa vel *roborantia*, ſeu *ſemen ſubſtantialiter augentia*, analeptica, ſpirituoſa, & calorem nativum juvantia; ſeu alimentoſa communia quaſi cum robore totius, qualia ſunt omnia εὔχυμα, εὔπεπτα & πολύτροφα, facilè in ſuccum & ſanguinem convertibilia, &, præter vinum ipſum, inprimis lacteo & oleoſo ſucco turgida, dulcia, oleoſa, v.gr. amygdala dulcia, nuces pineæ, piſtacia, dactyli, ova ſorbilia, lac aliaque victus genera; ſeu condimenti loco his addita medicamentoſa, aromata.

Sic galli caponumque teſtes ad ſemen augendum omninò probatiſſimi cenſentur à *Valeriolâ*; ſic cerebrum paſſeris, ſic caput cynaræ & oſtreæ huc pertinent, utrumque ſcopum reſpicientes. Sic quidam viperis ſaginant gallinas & carnem hinc ad impotentiam commendant. Ex medicamentis quoque huc referri poſſunt quædam, quæ γλισχρὸν & ſpumeum ſeminis characterem reſpiciunt, ut radix ſatyrii & bulbi alii, ſemen bombacis, quod commendat *Hoffmannus*, ambra & ex reliquis multa, quæ jam recenſebimus.

Hinc id ipſum quoque in proverbium abiit, quod ſine Cerere & Baccho frigeat Venus, manifeſto indicio, vi contrariorum, dato ſuo penſo corpori, ſufficere id ipſum & roborari ad venerem. Hinc etiam à lautis epulis & cœnâ dubiâ in juvenibus & ſpiritibus copioſis pollentibus ſequente nocte ut plurimum ſequitur pollutio nocturna, indicante naturâ hoc ipſo, quod à ſuperfluo etiam magnam partem ad ſemen parandum ſibi ſumat.

Et

Digitized by Google

Et hæc locum habent in ſenibus magis, vel quibus debiles & pauciores ſunt ſpiritus, ut reconvaleſcentibus à morbo, & quibus ſemen deeſt. Ut enim concurrunt ad coitum fœcundum tum ſemen ſpirituoſum, conſiſtens, copioſum, & inde turgens quaſi, tum partium genitalium vigor; ita priori requiſito ſatisfaciunt potiſſimum jam dicta.

Vel *ſtimulantia, interius quidem*, quæ caliditate & acri oleoſo inprimis ſale ſemen turgidius, ſpirituoſius & acrius reddunt, ut pruritum inde, *ὀδαξισμὸν* ſeu titillationem, ſeu rectius *ὀργασμὸν*, *turgeſcentiam* facilius ſentiat, & exitum hoc ipſo affectet; partes verò muſculoſas & erectioni inſervientes roborant. Talia ſunt tum *aromata omnia*, & his confinia *balſamica*, *ſulphurea* & *aromatica*, v.gr. cardamomum, cinamomum, crocus, caryophylli, zingiber ſemen erucæ, fraxini, quod linguam avis vulgò vocant, ſeſeleos, nux Indica condita, zingiber conditum, eryngium, in ſpecie verò piper omne, uti inter alios *Solenander ſ. 4. conſ. 7.* piperis ʒß. cum lactis ℥iij. & Sacchari ℥ß. exhibet, & ſimilia exempla pulverum talismodi legi poſſunt apud *Platerum in obſ.* Sic & antheræ herbarum huc ſpectant aphrodiſiacæ, *vid. Rolſinc. O. & M. p. 821.* Imò ipſa huc referenda meritò ſunt opiata, ſeu ſola, ſeu cum moſchatis & ambratis v.gr. in pilularem formam mixta. Quicquid enim in contrarium adduci ſoleat vulgò, de quo in *Opiologiâ* quoque diximus; certum tamen eſt per experientiam, opium probatiſſimum eſſe aphrodiſiacum, & plus forte præſtare, quàm ullum aliud, eò magis laudandum, quod & roboret & ſtimulet, & ſpirituum diſſolutionem impediat.

Tum *oleoſa & ſpirituoſa*; quæcunque enim calorem nativum ſeu partes ſanguinis volatiles, & ſulphureas intendunt, eadem quoque venerem ſtimulant, vel ſaltim contribuunt aliquid, unde ſpiritus formicarum ſeu aqua magnanimitatis ſimplex & compoſita hunc cenſum ſubit, quæ non aliâ ratione nomen hoc acquiſivit, quàm quod faciat magnanimos, ſeu herculem in thalamo, item ſpiritus ſatyrionis, ejusque & jam dictorum eſſentiæ & liquores, paſſim deſcripti.

 Sic

Sic & aqua vitæ ſatyriata, aqua vitæ Matthioli, oleum cinamomi, ambrata, moſchata, & ex zibetho parata, confectio alkermes completa &c. huc faciunt.

Tum *Salina & acria alia* non aromatica; uti enim Venus ex mari ſalſo genita fingitur, ita ſalina inſigniter quoque ſtimulant. Sic ſal commune in cibis huc ſpectat, & ſalita alia alimentoſa plura. Sic lac halecum communiter dictum inter aphrodiſiaca ſtimulantia non immeritò refertur. Sic boracem quàm maximè commendat *Mercurialis lib. 1. conſ. 48.* ita quæ ſale acerrimo gaudent, in partes genitales liquabili, fortiſſimè ſtimulant, unde fortiſſimæ inter ſtimulantia hæc ſunt cantharides. Sic ipſa etiam purgantia evadunt aphrodiſiaca, ob ſtimulum hunc ipſum, quam in rem legi poſſunt obſervationes elegantes apud *Plater. l. 1. obſ.* ubi refert, quendam à cathartico ita fuiſſe ſtimulatum ad venerem, ut ſe continere nequiverit, quin mulierem ſibi miniſtrantem comprimeret; alium ſumpto purgante cum medico expoſtulaſſe, quod ipſi aphrodiſiacum propinaſſet. Ab acrimonia enim medicamenti ob viciniam veſiculæ ſeminales facilè irritari poſſunt, imò in duriorum fecum excretione quoque nonnullis ſemen excernitur, de quo legi meretur *Rolfinc. de part. genit. p. 1. c. 24. p. 58.*

Vel *media*, pertinent enim huc, quæ itidem non inutiliter commendari conſveverunt, quæ acrimoniam minus explicitam habent & partim ad alimentarem claſſem, partim medicamentoſam referri queunt, v. gr. boletus cervinus, (quem tamen pigriorem eſſe obſervavimus, unde ſunt qui ex hoc cenſu penitus eum eliminant,) priapus cervinus, unde uſu probatum ſcribit *Solenander*, ante congreſſum ʒj pulveris veretri cervini, exciſi dum in amore eſt & exſiccati, cum ovo ſorbili exhibitum, ſuperbibito parum vini generoſi, plurimum profuiſſe; item ſtinci marini carnes. Inprimis hic memoranda chocoloda Inda, quæ & ſemen auget, & ſtimulum addit, unde & in juſculis cum vino, ſaccharo, & vitello ovi, quàm utiliſſimè adſumitur, & eo fine plurimis à nobis fuit commendata, & in pulvere ad ʒij, vel ʒß, vel amplius poteſt comedi, vel cum vino aſſumi.

Exte-

Digitized by Google

Exterius verò itidem roborantia calefacientia & ſtimulantia id præſtant.,v.gr.ex oleo nucis moſchatæ expreſſo & deſtillato,macis. caryophyllorum, oleo formicarum *Myn ſ* additis cautè cantharidibus. zibetho, quod membro virili inungunt quidam &c. Sic inprimis commendata ſunt fella animalium quorundam, v.gr. hirci, itidem membro virili inunctum. Sic refert *Solenander l.c. conſ. 9.* illitu fellis hircini ſe feliciter uſum, & *B. Dn. D. Schenckius* exemplum nobis memoravit, quod hoc remedium venatori per jocum quaſi commendaverit, ipſe verò ſeriò id captans finem obtinuit, gratitudinem ſuam poſtea teſtatus medico.

Quoad APPLICANDI horum USUM & MODUM I. *Aphrodiſiaca in viris, in fœminis verò minus locum habent.* Uti enim in illis ad coëundi potentiam maximè faciunt, ita fruſtrà fuerit libidinem in fœminis ciere. Iuxta *Hippocratem* enim noſtrum in *epiſt. p. 911.* ſemper opus habet mulier moderatore. Habet enim in ſe à naturâ laſciviam, quæ niſi quotidiè reſecetur, velut arbores in materiæ multæ effuſionem exuberat. Et rara ſunt illarum exempla, quæ non tam citra voluptatem omnem concipiunt, quàm nullo appetitu ad τὰ ἀνόητα ſeu κλινοπάλην feruntur. In ſterilitate verò muliebri curandâ eadem ex parte conveniunt, non ſcilicet tam quæ ſtimulant, quàm calorem roborant, de quo alibi.

2. *Quæ flatus excitant, venerem non cient.* Communiter id de aphrodiſiacis prædicari ſolet, flatum eſſe neceſſarium ad venerem, de quo caſtigans Cardanum legi poteſt *Scaliger exerc. 175.* Ut ut enim in pueris videatur à flatu erectio ſeu diſtenſio potius penis obſervari & hi ipſi concurrere per accidens poſſint, uti ex pene flatus prodeuntes obſervavimus; inter aphrodiſiaca tamen id referri non poteſt nec debet; imò luſus eſt in voce *flatus*, quæ ſpiritus excitant, venerem cient, adeoque ſemen turgidum reddunt, non item quæ flatus.

3. *Non tam piperatis & acribus ſtimulantibus in ſenibus exſtimulanda venus, quàm vitalem virtutem corque ipſum reficientibus.* Theſis hæc eſt *Simon. Pauli Quadrip. Botan. p. 145.* fruſtrà enim exſtimulaveris

laveris deficiens ſemen, quin, quod alterum quaſi eſt πόρισμα, in ſenibus ſtimulantia ἀφροδισιακὰ ſæpè alvum laxant, ob eundem veſicularum ſeminalium cum inteſtinis conſenſum, ut hinc ridiculo effectu infelices amatores ſenes, aſſumptis talismodi confortativis gratiam ſibi juvencularum conjugum conciliaturi, fœdâ illuvie alvinâ non rarò & ſponſam & lectum conſpurcent.

4. *Confortantia & leniter ſtimulantia aphrodiſiacis commodè miſcentur.* Ita nempe, ut & corpori lautius proſpiciatur, & medicamentis vitale robur confortantibus, non omiſſo leni ſtimulo, id præſtetur, unde huc pertinent electuaria diaſatyr. condita, liquores, mixturæ variæ. Inprimis verò probata deprehendimus duo remedia; mitius unum & analepticum, fortius alterum; illud eſt chocolada, hoc rotulæ ſtimulantes *Mynſichti*. Imò obſervavimus, ſola confortantia, ſine ſtimulantibus, & ſola ſtimulantia ſine confortantibus vix felicem effectum dediſſe. Lenia verò diximus ſtimulantia, qui enim improvidè utuntur cantharidibus, ſtranguriâ & ardore urinæ indicibili, quod ipſi obſervavimus, & mictu cruento non rarò afficiuntur, quorum remedium & antidotus eſt lac & emulſiones refrigerantes. Vid. *Lang. l. 1. epiſt. 47.*

5. *Locus & tempus applicandorum aphrodiſiacorum attendendum eſt.* Quoad *locum* quidem, externa inunguntur habito ſelectu perinæo, lumbis, membro ipſi, & pollici pedis ob conſenſum, cavendo tamen ne membro ultra zibethum vel fel hirci alia acriora illinantur. Quoad *tempus* verò alimentoſa & confortantia magis interdiu mane, veſperi & inter edendum quoque, ſtimulantia interna & externa magis circa noctem & ante congreſſum conveniunt, horâ unâ circiter vel dimidiâ, ut, ubi ad prælia ventum eſt, & claſſicum canatur & celeuſma.

6. *Aphrodiſiaca etiam impotentiam à faſcino tollunt.* Poſſunt quidem eo caſu miſceri & propinari ſeorſim, quæ aliàs contra incantationes ſolent commendari, præcipuè eſſentia hyperici cum eſſentiâ ſatyrionis ante diluculum ſumpta, de quo *vid. A. Sala*, item alia, uti multos reſtituit mictio ſuper ſcopas recentes,

item

Digitized by Google

item per annulum ſponſalem, raſura cornu capri aſſumta, decoctum aquilegiæ, juxta *Hartmannum*, ad eluenda genitalia. Sic etiam obſervavimus ſublatam urinæ miſſione per aſſeris ex reliquo trunco extruſum nodum; item exemplum novimus, remedium *Carrichteri herbar. p. 252.* probatum eſſe, quæ omnia ſano ſenſu poſſunt in uſum trahi; aſt ipſimet reſtituimus aliquot faſcinatos & ligatos hoc modo (ita enim ſolent vocari) ſolis aphrodiſiacis, nominatim rotulis ſtimulantibus Mynſ. & chocoladâ jam laudatis.

Lib. II. Sect. II. Caput XIV.

De antivenereis.

Videri quidem poſſet contra naturam, ſemen extinguere & ardori metam ponere, præſertim in homine, qui ad ſingula quaſi momenta, ſecus ac bruta animalia pleraque, ad venerem pronus eſt; attamen multi dantur caſus, ubi quod ſpeciei debitum eſt, ſui urget refrænationem.

Præſupponimus verò, ſemen ſeri florem eſſe ſubtiliſſimum, quod per mechanicam patet, & naturam in ſtatu quidem ſecundum naturam, quando jam corpus debitam acquiſivit magnitudinem, præter conſervationem individui, quam nutritione continuatâ machinatur providè, reſiduum, quod aliàs in augmentum corporis ceſſerat, ad ſpeciei propagationem, adeoque ſeminis proventum impendere, in ſtatu verò præter naturam varia producere *Φαινόμενα*, quæ ſeminis conſequuntur vel copiam, vel qualitatem vitiatam. Hinc ſemen imminuentia ſeu antivenerea & antaphrodiſiaca potiſſimum, ſi modum agendi inquiramus, *vel ipſum hunc proventum imminuunt*, non tam ſubtrahendo alimenti quantitatem, quod equidem multum per ſuprà dicta, ad imminuendam venerem facit, quàm collectionem ſeu *συναθροισμὸν* ſeminis (liceat ita loqui) remorantia; ſive *conſtringendo*; unde Saturnina interius principem inter hæc ipſa habent locum, inprimis ſaccharum ſaturni per evaporationem paratum, quod intenſivum quidem dulcorem linguæ ſimulat,

Digitized by Google

reverà tamen partibus ♁ti cum metallicis conjunctis concentrat quaſi ſerum, quò minus turgere, vel ad partes genitales, præterquam minus vegetum & vividum, poſſit pertingere, unde evirat, copioſius ſcilicet adhibitum idemque conſtringit. Hinc & tinctura ſaturnina, vulgò antiphthiſica dicta, rectius ſtyptica & ad noſtrum ſcopum antivenerea audit. *Tum diſſipando & conſiſtentiam ſeminiformem deſtruentia*, diſſlationem ſpirituum procurantia, qualia inprimis ſunt *camphorum*, de quibus quaſi in proverbium abiit:

Camphora per nares caſtrat odore mares;

& inprimis *amaricantia*, unde abſinthiaca, aloëtica ex parte & alia huc ſpectant. Sic vitex, quem vulgò ſed falſò agnum caſtum vocant, folia rutæ, abſinthii, ſalicis, ſemen cannabis, & inde parata emulſio cannabina *Mynſ.* lactuca, & alia ob amaritiem hunc cenſum ſubeunt, mentha etiam ipſa, unde proverbium, mentham belli tempore ne ſerito. Memorandæ hîc aquæ & eſſentiæ caſtitatis, qualem aquam deſcribit *Mynſichtius*, eſſentiam verò in uſu habuit *Dn. D. Michaelis.*

Vel ſtimulum, ὀργασμὸν & acrimoniam tollentia, qualia inprimis ſunt tum *aquea*, refrigerantia, ut nymphæa, lactuca, endivia, portulaca, ſemina quatuor frigida majora & minora, & inde paratæ aquæ, emulſiones & ſimilia. Uti enim renum calor vel ſanguinis potius & ſeri vigor multum facit ad ſeminis conquasſationem in teſtium pampiniformibus canaliculis & poris, ita quæ calorem diluunt, temperantque, minus vigoroſum ſemen fœnerant, & conſequenter venerem minuunt. Hinc ebrioſi, qui nimio potu obruunt corpus, hinc hydropici & cachectici ſteriloſcunt & ad generandum inepti fiunt.

Tum *terrea*, quæ præcipitant & imminuunt motum ſanguinis & conſequenter ſeminis; Sic ex vegetabilibus fragaria, agrimonia, & ſimilia, item terra ſigillata, corallia, bolus armena, os ſepiæ, quod, ejusque magiſterium, gonorrhœæ curandæ non inconſulto adhibetur, ſandala omnia & alia ſuo modo huc faciunt.

Et hæc ipſa quoque vel hujus generis exterius multum ad calorem

calorem temperandum faciunt. Ita enim folia vitis, ſalicis, agni caſti exterius ſubſternere quidam ſolent, folia nymphææ item & alia, quæ tamen ſunt minorum gentium, neque niſi obiter forſan in praxi ea conſulere conſveverunt medici, ut Venus in lactucâ v. gr. vel ſimili ſuum ſepeliat Adonin. Præ aliis hîc memorari merentur ſaturnina, quæ uti intrinſecus veneri ſunt adverſa, ita & extrinſecus inſignem huic rei impendunt opem. Laminæ, inquam, plumbeæ pro mitigando renum calore & pollutionibus nocturnis averruncandis in praxi perquàm ſunt uſitatæ, non ſolùm ob frigiditatem nativam quaſi, ob quam repellunt, & temperant, verùm etiam aliâ ratione, quia, ut verbis utamur *Langii diſſert. de calcul. cumt. §. 59.* magneticè quaſi acrimoniam ſalinam extrahunt, id quod inde licet deprehendere, dum quælibet pars affecta ſub plumbeo hoc tegmine ſemper madere ac ſudare ſolet, in quo ſudore ſal cauſticum, (acre) calorem intendens continuò egreditur, & ſuâ acrimoniâ ſaturnum ſolvere tentans viſibiliter adhæreſcit, quæ ipſa attractio ſalis copioſa fit beneficio mercurii, quo ſaturnus abundat. Mercurius autem deperditè quaſi ſalinum contubernium amat, adeoque exhalationem procurat & factâ prius refrigeratione actuali potentialem inducit. Taceo rationem illam mechanicam, quod corpori applicata lamina premat id ipſum, & hoc modo moneat, in ſomnis præſertim, naturam, ne exorbitet, cum notum ſit, pollutionem nocturnam utplurimum fieri ſupino poſitu in dorſum decumbentibus.

Tum *acida*, quippe quæ obtundunt ſulphur vividum ſanguinis, & unà glutinoſæ ſeminis συςάσεως impediendæ apta nata ſunt; hinc commendatur acetoſa, licet, ut hoc addam, fabula ſit, quam ex *Gilberto Anglico* refert *Finckius in enchir. dogm. Herm. cap. 31.* & alii, ſemen acetoſæ à puero venerem nondum experto collectum ad gonorrhœam eſſe præſtantiſſimum amuletum; acetum, tincturæ refrigerantes, & acida tum tartarea, tum ſalina omnia. Sic obſervavimus, hepaticum rubrum, ſeu cryſtallos tartari vitriolatos & ſandalatos in pollutione nocturnâ minuendâ egregium tuliſſe auxilium; Sic apud *Joëlem* extat

Digitized by Google

locus, ubi ſpiritus vitrioli pro ſeminis excretione promovendâ & annihilatione ejusdem commendatur. Notabilis verò præcipuè eſt obſervatio *B. Langii, comment. in Fabr.* qui obſervavit, viro honorati nominis ex familiari ſpiritus vitrioli uſu, quo infirmitatem ſtomachi corrigere allaborabat, (ſine ullâ ſanitatis jacturâ) pudendum unà cum teſtibus exhauſtum & extenuatum fuiſſe, ut amittendæ virilitatis adeſſet periculum, quâ tamen remotâ conſvetudine integritatem virilem, generoſis ſubſidiis refectus, ex voto recepit, poſtea multæ ſobolis parens factus.

Patet hoc ipſum etiam per contrarium, uti enim à motu nimio agitatum corpus, vel ſpiritus aliunde novos acquirens ἐξονειρωγμὸν patitur, quandò ſpumeſcit quaſi ſerum, & hinc ſtimulum acquirit novum; ita quæ hanc ſpumeſcentiam, evectionem & exaltationem domant, ut in ſpecie acida, idem quaſi deprimunt, & imminuunt.

Tum *nitroſa & mercurialia*, quatenus fluxile reddunt ſemen, &, ut ita loquar, quaſi in primum ens reſolvunt. Notum enim per mechanicam eſt, ſemen ſuâ naturâ licet γλισχρὸν ſit & craſſioris conſiſtentiæ, promptè tamen in aquam reſolvi poſſe. Quæcunque itaque id præſtant, eadem ſemen quoque imminuunt, & veneri ſunt adverſa. Sic in genere nitroſa ſerum reddunt fluxile & unà invertunt ſulphur, unde legi poteſt inſignis obſervatio apud *Timæum* cujusdam extremè libidinoſi, qui tandem nitri exhibitione largiori ceſſaverit & ſibi & aliis moleſtus eſſe, quas effreni ſuo ardore perſequi non deſtiterat. Mercurialia verò præter id ipſum, ſal enim acidulum intimè poſſident, ſerum & ſemen fluxile reddens, nervos rerum gerendarum exhauriunt, & muſculoſis & nervoſis partibus quaſi debilitandis & ſepeliendo membro prompta atque parata; hinc mercurius dulcis in gonorrhœâ ſimplici & virulentâ inprimis commendatur.

Vel deniquè *media*, quæ motum ſeri aliàs corrigere & fluxiones ſiſtere apta nata ſunt, adeoque affluxum moderantur, acrimoniam mitigant, conſiſtentiam balſamicâ ſuâ vi integram ſervant, & vaſcula ſeminalia roborant, exulcerata, laxata, & viroſa

roſa abſtergunt, & aliorſum divertunt, qualia quidem in univerſum aliàs debentur catarrhis ſeu motis ſeri quibuscunque fluctibus, v.gr. ſuccinata, unde obſervavimus talismodi divertentia, v.gr. eſſentiam ſuccini cum bezoardicâ & anodynâ maritatam, feliciſſimè gonorrhœam abegiſſe, quò pertinent & ſudorifera ex lignis, decoctum ligni ſancti, ſaſſafras, bezoardicum martiale &c.

Notandum enim ſemen imminuentium claſſem latius patere, nec ſolùm ad caſtitatem inducendam in cœlibe vitâ facere, ſed & vitiis. fluxionibus & ichoreſcentiæ ſeminis, ſeu ſemini vitioſo, quodcunque loco ejus exit, deberi, unde conveniunt, ſelectu quidem adhibito, in gonorrhœâ omni, ſimplici, pollutione nocturnâ, & virulentâ, in effreni item libidine, & ſymptomatibus ſimilibus vel inde oriundis, ſuo modo etiam fœminis ipſis fluore albo & gonorrhœâ laborantibus.

Quoad applicandi modum

1. *Variat ſemen imminuentium virtus ratione temperamentorum.* Ut enim in genere quodvis agens agit ſecundum receptivitatis modum; ita quando apud autores contraria occurrunt & leguntur, v.gr. viticem, rutam, mentham, venerem imminuere eandemque laceſſere, ſemen imminuere & producere, effectus ſanè illi diverſitati corporum ſunt adſcribendi, unde rectè *Hoffmannus*, ſemen agni caſti, ſcribit, frequentius uſurpatum ſemen imminuere, & habere hunc effectum in calidioribus (calida enim diſſipant) ſed in frigidioribus contrarium; quem κατὰ πόδα ſequitur *Sim. Paulli in quadrip.* Sic, eorundem deciſo, mentha recens venerem auget, ſicca minuit.

2. *Variat eadem horum vis pro ſeminis ſtatu & abſumtione ſimplici indicatâ, vel adſtrictione.* Neque enim omnia omnibus conveniunt; ſic in pollutione nocturnâ refrigerantia acida, aquea & leniter ſtyptica conveniunt, in gonorrhœâ ſimplici acida & nitroſa, ut & lixivioſa, quicquid etiam in contrarium tradant practici, magis vitanda, in virulentâ mercurialia in principio, acida verò & nitroſa minus proſunt, nitroſa in libidine auferen-

Digitized by Google

dâ potentiora, in fluxu verò exulare debent, media fluxioni magis quàm quieti debentur.

3. *Imminuendo ſemen cavendum, ne in alterum extremum vel contrarium ruamus*; hinc & in genere abſinthiaca, ſaturnina & alia recenſita in maritatis & recens nuptis minus locum habent, largiori ſcilicet quantitate propinata. Et in juvenibus, pollutione nocturnâ præſertim affectis, cautè cum his eſt mercandum. Valet enim hoc loco illud *Horatianum:* naturam expellas furcâ, tamen usque recurret. Pollutio nocturna morbus eſt ætatis, unde imminui quidem ſemen, & ejusdem ὀργασμὸς & acrimonia refrænari poteſt, ſed non extingui debet; neque ipſa natura id concedit, unde monaſticæ vitæ dediti quicquid tandem uſurpent, ut minuatur vel emoriatur virilitas, pollutiones tamen nocturnas & phantasmata venerea, quin gonorrhœam ſæpè nihilominus patiuntur, plenaria enim abſumptio absque totius noxâ & detrimento inſtitui (exceptâ caſtratione) per medicamenta vix poteſt. Novimus ſenem ſeptuagenarium calidioris temperamenti, qui à primâ juventute pollutiones nocturnas in extremum usque ſenium paſſus eſt, & nihilominus copioſâ prole beatus eſt. Novimus verò itidem paſtorem conjugatum gonorrhœâ mortuum.

4. *Mercurialia fluxum ſeminis adaugent potius quàm refrenant*; ſibi ſcilicet relicta fluxile reddunt magis ſemen, unde obſervavimus ab eorum uſu, ut & à purgantibus adhibitis, fluxum ſemper quaſi augeri; utut igitur in principio gonorrhœæ virulentæ, & ſimplici etiam ſpecie cum purgante datus locum habeat v. gr. mercurius dulcis; illud tamen magis fit abſtergendi, mundificandi & divertendi gratiâ, quàm adſtringendi, unde ut commodè hoc modo datur, quò ulcus veſicularum ſeminalium, quòd à coitu impuro contractâ acrimoniâ exortum eſt, mundificetur & ad conſolidationem aptetur, ita, ſi quis his ſolis velit pergere, & rem exhaurire, fruſtra erit. Tunc enim, præmiſſis ſcilicet hujusmodi, roborantia ex agrimoniâ, fragariâ, ſuccinatis & ſimilibus, quæ laxos parietes firmant, acrimoniam mitigant, & fluxilitatem coërcent, commodiùs ſubjunguntur.

5. Ex-

Digitized by Google

5. *Externis oleis & unguentis pro abſumendo & inbibendo ſemine non fidendum*; hæc ipſa enim tonum partium genitalium magis laxant, fluxumque adeò potiùs promovent, quàm remorantur, unde unguentum roſatum *Meſue*, refrigerans *Galeni*, oleum hyoſcyami, & quæ alia ſolent commendari, habent quidem aliquando ſuum locum, lumbis præſertim inuncta, aſt præſtat internis potius, quàm his inſiſtere, neque teſtes iisdem ungendo quicquam profeceris, ut taceam, olea calorem quoque partibus fœnerari.

Lib. II. Sect. II. Caput XV.

De ΙΣΧΑΙΜΟΙΣ ſeu ſanguinem ſiſtentibus.

REſtant expendenda ἴΣΧΑΙΜΑ, ſeu illa medicamenta, quæ ſanguinem, cujus excretio toto genere præter naturam eſt, effluentem ſiſtunt, inſtar capitis Gorgonei, ut intra alveos ſuos commoretur, nec extravaſetur. Præſuppoſito ergò, immoderata ſanguinis profluvia contingere

1. Vel *mobilis ipſius ſeu ſanguinis culpâ*, quando à tono partium laxato & fibris debilitatis ſanguis particulis ſalinis lixivis, ſulphureis, volatilibus rareſit nimis, & ulterius ſpatium ſibi quærit, non aliter ac ebulliens & motu citata aqua marina litus transgreditur & attollitur, terramque largius inundat; unde etiam calor dilatat poros; tum ſalinæ partes dehiſcentia vaſorum oſcula magis, & facilè quidem, reſerant. Exemplum hujus rei præbent tum febres, quibus ob hanc cauſam, inprimis ob ſalis volatilis prædominium & calorem frequentiſſimæ hæmorrhagiæ accidunt, tum extra febrilem ſtatum morbi ſalini, quos ſal fixum alcalicum vel volatile ſtipat, qualis v. gr. eſt ſcorbutus. Scorbutici enim hæmorrhagiis maximè ſunt obnoxii, conſummati ſcilicet inprimis.

2. Vel *continentium vehentiumque vaſorum*, quatenus dimittunt à ſe, nec continere ampliùs queunt vitale nectar, ſed ema-

nare ſinunt tum ob *ναυσίωσιν* quandam, hiatum, eroſionem, apertionem, ſpontaneam vel coactam, vulnera, unde copioſa ſæpe ſtillatio & evacuatio ad ipſius caloris depauperationem contingit, tum ob ſpatium denegatum & improportionatos canales, ob ingentes ſcilicet viſcerum obſtructiones, unde cum ſanguis eorum anfractus liberè pertranſire nequeat, anguſtatus quaſi quà data porta exit. Vid. *Lower. vindicat. pyretol. Willis. p.18.* ubi quoque exemplum affert puellæ per ſex annos hæmorrhagiâ afflictæ, martialibus tandem curatæ.

Hinc ut in genere *ἴσχαιμα* ſunt, quæ ſanguinem elapſurum refrenant, & in priſtinum vocant clima; ita vel *ipſum* reſpiciunt *cruorem*, interiùs quidem, quatenus v.gr. tùm *rarefactionem & ebullitionem inhibent*; ſeu *præcipitantia*, terrea omnis generis, ex coralliis, lapide hæmatite, ſpodio &c. ſeu *temperantia, aquea & refrigerantia*, aqua burſæ paſtoris, plantaginis, portulacæ, nymphææ, ſpermatis ranarum, phlegma aluminis &c. ſeu *coagulantia & congelantia acida*, tinctura roſarum, violarum, ſpiritus acidi. Sic aliquos curavimus ſcorbuticos hæmorrhagiâ narium corripi frequentiùs ſolitos ſolo ſpiritu vitrioli cum tincturâ violarum maritato, qualia exempla conſignavimus *Ann. III. Ephemer. German.* acida enim obtundunt & invertunt volatiles & nimis mobiles particulas, figunt quaſi, concentrant & exundare prohibent.

Tum *ichoreſcentem incraſſantia & adſtringentia*, quatenus ſeroſior eſt, acrior, fluxilior, unde à roborantibus partim & tonicis, partim fortiùs adſtringentibus & concentrantibus auxilium ſperatur. Sic omnes ferè radices rubræ ſiſtunt ſanguinem, v.gr. tormentilla, biſtorta, alcanna; ſic pulvis Heurnii ad omnem ſanguinis fluxum, inprimis verò hæmoptyſin laudatiſſimus eſt, qui ℞. *ſem. hyoſc. albi, papav. albi* ā. ℨj. *lap. hæmat. corall. rubr.* ā. ℨß. *camph.* ℈ß. M.D. manè & veſperi ℨß, addit etiam terram Lemniam quandoque, & cum conſervâ roſar. facit electuarium. Sic pulvis noſter ſtypticus, crocus martis adſtringens, terra ſigillata, tinctura etiam antiphthiſica Gramanni, hæmorrhagias eximiè ſiſtit, quâ hinc in hæmoptyſi, & menſibus immodicis feliciſſimè uſus ſum ſæpius, tinctura item ſulphuris vitrioli,

trioli, hæmatites, corallia, cryſtalli Saturni, ſperniola Crollii, ſirupus coralliorum huc ſpectant.

Tum *figentia*, communia omnium fluxionum præſidia, opiata, ſive ſeorſim, ſive cum adſtringentibus maritata, propinentur, inprimis magiſterium anodynum, laudanum opiatum &c.

Exteriùs verò in eundem finem hunc cenſum ſubeunt tùm *revellentia* atque motum inhibentia in contrarium. Sic venæſectio in adverſâ parte inſtituitur ſæpè commodè; ſic cucurbitula ſicca ad nucham applicatur, quod arcanum eſt recentiorum remedium; ſic ligaturæ extremorum, brachiorum, pedum, digitorum, ut impetuoſus motus quaſi retardetur, huc faciunt.

Tùm *refrigerantia*, ſive actu talia, repellentia, ſive potentialia, uti oxycratum, ſive mixtura ex aceto & aquâ, collo vel teſtibus applicata. Sic egregius exſtat locus apud *Simonem Pauli, quadripart. botan. pag. 508.* amylum, *inquit*, mixtum cum bolo Armenâ, ac ovi albumine exceptum, inductum ſtuppæ lini carminati, tantæ longitudinis, ut ultra coronalem ad glabellam aut naſi radices pertingat, ſi applicetur vertici ſecundùm ductum ſuturæ ſagittalis, cui ſubjacet falx duræ meningis, enormes hæmorrhagias, frequenti experientiâ, aliquoties inhibuit. Sic notum eſt, terrorem ſubitaneum, quatenùs ſanguinem à peripheriâ ad centrum deſubitò revocat, hæmorrhagias quasvis ſiſtere; unde etiam quandoque caſus dantur, ubi lipothymia ſuperveniens ſanguinem ſiſtit, quale illuſtre, licèt exoticum quaſi, exemplum de hæmorrhagiâ *Ageſilai*, Lacedæmoniorum ducis, legi poteſt, vix adhuc notum in ſcholis medicis, *apud Xenophontem lib. 5. rer. Græcar.* ubi illam tandem ipſo animo deficiente deſiiſſe refert. Sic, hoc certum eſt, *inquit Höferus, Herc. med. lib. 5. cap. 2. pag. 251.* in hæmorrhagiâ, narium præſertim, certius remedium non eſſe, quàm frigidiſſimæ aquæ, aceti, vel etiam glaciei ſubitaneam applicationem ad nucham.

Tùm *adſtringentia & comprimentia*, uti lapis hæmatites, jaſpis, carneolus, & alia, tam actuali frigore, quàm potentiali conſtrictione à particulis Martialibus terreisve, manu vel ſub axil-

Digitized by Google

lis detenta hæmorrhagias ſiſtunt. Sic radicem nigellaſtri ſeu pſeudomelanthii linguæ ſubditam, ut ægri ore aliquandiu detineatur, commendant pro experimento, quod in leviori & mitiori ſaltim caſu ſuccedere notavimus; in graviori fallere. Sic bufo exſiccatus ſub axillis hoc fine utiliter geſtatur, & officula bufonum exſiccata, mundataque, &, ne agnoſcantur æquè, præciſa in apicibus, pro ſecreto habebat *B. Rolfincius*. Sic uſitatiſſimum eſt, monetam, v. gr. imperialem, præcipuè aquæ frigidiſſimæ prius injectum, fronti arctè adalligare, ad vaſa comprimenda & refrigerationem. Referri huc poſſunt varia epithemata & cataplaſmata, amoleta quoque, & ſimilia. Sic urticam vulgarem contuſam plantis pedum & volis manuum applicatam maximoperè commendat *Borellus*, (unà cum aliis, quæ ibi videri queunt, medicamentis,) *cent. 1. obſ. 95.*

Vel reſpiciunt *canales & vaſorum oſcula*, quibus quovis modo reſeratis neceſſum eſt abſolutè ſanguinem ſibi relictum fluere; *interiùs* quidem eadem, quæ jam diximus, conſolidantia, adſtringentia, & glutinantia proſunt; *exteriùs* verò

Tùm *comprimentia*; licèt enim compreſſio ipſa hiatûs videatur momentaneum ſaltim afferre auxilium, quâ ceſſante redeat proruptio; attamen hoc pacto labiis continuo compreſſis natura conſolidationi invigilare poteſt, unde & ſatis commodum eſt remedium. Sic venæ ſectæ vulnus toto die ſolo comprimente ſpleniolo: ſic ſolâ deligatione aliorum vulnerum cruentationes, ſi modò accedere poſſit manus chirurgica, tolluntur. Sic exemplum habet *Verulamius hiſt. natur. cent. 1. n. 66.* per ſuccedentes pollices obturato orificio vulneris Principis Auriaci bidui ſpatio ſaltim conſvetudine ſanguinem repreſſum fuiſſe, aliis irritis; quæ tamen conſvetudo citra conſolidationem hoc modo procuratam fieri non potuit. Sic arteriarum hæmorrhagiæ aliàs non poſſunt, niſi ſolâ compreſſione, curari principaliter.

Tùm *imbibentia ſanguinem, & conſequenter obturantia*, quo nomine crepitus lupi, ſeu fungus pulverulentus celeberrimus eſt, unde *Hornius microtechn. p. 92.* rectè ſcribit, hunc ipſum, ſi tenax

nax fuerit & molliuſculus laminatim diſſectus, ejusque laminæ à prelo ſint compreſſæ, ſufficienter quamcunque hæmorrhagiam ſiſtere poſſe, inprimis ſi pulvis ſtegnoticus deſuper inſpergatur juxta *eundem ſect.2.parte 1.p.139.* Sic omnia ſicciora huc ſpectant, unde apud *Grülingium* exemplum occurrit, flocculos è panno fatiſcentes, in caligis repertos, in caſu neceſſitatis aliquando ſtitiſſe ſanguinem. Quidam apud *eundem cent.1.curat.42.* ſolo pulvere teſtarum ovorum, è quibus pulli excluſi, pennâ in nares inſufflato, curatus eſt.

Tùm *adſtringentia*, aquea, auſtera, acidula. Sic fungi betulini ramenta ad miraculum hæmorrhagiam externam & longè efficaciùs croco ♂tis adſtringente, ſiſtunt, teſte *Crollio baſil. chim.pag.308.* Sic pulvis pampinorum potus & in nares immiſſus in hæmorrhagiâ mira præſtat. Sic *Riverius cent.1. obſerv.23.* dilaudat oxycratum per nares frequenter attractum, quod ipſum etiam *Deodatus lib.3. panth. hygiaſt. pag.235.* inſtar arcani extollit.

Sic lacca Florentina cum vel ſine alumine in nares tracta hæmorrhagias ſiſtit. Sic ſolum atramentum id præſtat ſæpe, vel eodem tinctæ ex alumine turundæ, quod apud *Borellum cent.4. obſerv.50.* tanquam arcanum mirum ad ſanguinem conſtringendum commendatur. Sic aqua ſperm.ran.cum alumine crudo miſta inſtar errhini uſurpata ſæpiſſimè ſtitit hæmorrhagiam narium, apud *Mindererum, medic.milit. cap.9. pag.337.* Sic muſcus omnis adſtringit, adeoque & hæmorrhagiam ſedat, inprimis muſcus cranii humani, qui uſnea dicitur, internè, & externè ſub axillis geſtatus, vel vulneri impoſitus.

Tùm *ſanguinem coagulantia & in cruſtam quaſi redigentia*, ſive *leniter*, cui prius, quam exempla addamus, præmittemus canonem *Mindereri medic.milit.cap.7. pag.250.& cap.9.p.313.* qui & ſuperiorem de radicibus rubris habet: *Omnis ſanguis iterum ſiſtit ſanguinem*, glutinoſus enim eſt, unde occurrens alteri erumpenti eundem demulcet & vaſa conglutinat. Sic elegans exſtat exemplum hujus rei apud *Platerum lib.3. obſerv. pag.725. & ſeq.* amputatis malefici manibus, brachio mutilato in vulnus galli

Digitized by Google

gallinacei recens factum intruſo, hæmorrhagiam penitùs ſuppreſſam; id quod in digito præmorſo ipſi *loco citato* expertum & probatum quoque eſt. Sic ſanguis animalium calidus in inteſtina dyſentericorum clyſteris loco inditur. Sic & *Verulamius hiſt. vitæ & mort. pag. 370.* & *loco citato* in genere in ventrem alicujus animalis nuper diſſectum membri amputati, vel aliàs ſanguine nimis profluentis, intruſionem commendat, ſanguine membri recente ſanguinem animalis per conſenſum ſorbente, & ad ſe vehementer trahente, unde & ipſe ſiſtitur & refluit. Sic & excrementa porci calida odorata ſanguinem quaſi coagulant. Videatur *Rulandus cent. 10. obſ. 57.*

Sive *fortiùs*, cruſtam inducentia, tùm actualia tùm potentialia. Sic apud *Williſium l. de febribus p. 240.* exemplum eſt hæmorrhagiæ contumaciſſimæ, curatæ vapore ſanguinis elabentis in ferrum candens excepti. Sic ignis ſeu cauteriſatio, torrefaciendo ſanguinem & vaſa criſpando ac occludendo, ultimum eſt remedium, & in ſphacelatorum abſciſſione uſitatum. Sic pilam ex lanâ intinctâ ♃ti, linguæ hæmorrhagiam ſtitiſſe refert *Platerus loco citato.*

Referri huc poteſt pulvis ſympatheticus, in quem ſanguis ſtillans hinc adſtrictionem producit; ſed non æquè certò, nec niſi caſu leviori ferè ſpei ſatisfaciens.

Vel reſpiciunt *vias ſanguinis liberas*, unde impropriè ſanguinem ſiſtunt & mediatè *aperientia*, quæ circulationem ſanguinis impeditam in integrum reſtituunt, quæ ipſa in nimio menſium fluxu & aliis hæmorrhagiis ſæpe deprehendimus proficua, ut alibi dictum jam eſt.

De MODO ADHIBENDI pauca ſolùm addemus:

1. *Hæmorrhagiæ ſimplici magis conveniunt ἴσχαιμα, complicatæ ſecundùm quid.* Sic locum habent in hæmorrhagiâ narium, vulnerum, arteriarum, menſium, hæmorrhoidum, hæmoptyſi, mictu cruento, dyſenteriâ, ut talibus; &c. ſin conjungatur alius affectus ſpecialis, ille adhibitionem limitat, & ipſi proſpiciendum eſt principaliter. Sic dyſenteria & mictus cruentus à calculo propria quoque ſibi depoſcunt, non abſolutè ſanguinem ſiſten-

Digitized by Google

ſiſtentia & figentia, habito nimirum ad calculum, &, ut ubique, ad-cauſas quoque alias reſpectu, quibus dum ex debitis loculis ſatisfit, hæmorrhagia quoque illa ſedatur. Quin nec omnibus ſanguinis fluxionibus eadem alio fine deberi, conſtat, quàm ubi indicant primariò adſtrictionem, uti ineptum foret v. gr. in pleuritide vel ſputo cruento per ſtyptica remoras ponere. Par ratio eſt aliorum.

2. *Topica illis locis applicanda, ubi vel immediatè id opus eſt, vel ſanguis magis refrigerari poteſt.* Ibi enim contactu immediato, ſi poſſibilis eſt, orificia vaſorum & hiatus obturant, hîc verò intimius alterando ſanguinem impetuoſum motum coercent. Sic ut ſummatim id repetamus, applicantur bregmati, fronti, ſub linguâ, nuchæ, naribus, collo, ſub axillis, hypochondrio dextro vel ſiniſtro, teſtibus, plantis pedum.

3. *Cauſtica & corroſiva, ut ☿ ♎, ⚯, ⊙, ▽F, ad hæmorrhagias ſiſtendas non æquè adbibenda.* De hoc ipſo legi meretur latius *Mindererus med. militar. p. m. 323.* quia tum irritant vulneris parietes membranoſos, tùm quoque maxima ſymptomata, mortemque adeò ipſam ſæpè inducunt. Cogunt quidem initio venas, & adſtringunt, ob partes quas habent ponticas, ſtypticas, ſed hinc corroſionem, quâ pollent, explicant & cum parte communicant. Notabile tamen eſt, locum habere quædam horum poſſe, leniora, uti colcothar, & ▽F, quandoque; deinde, magis tamen in minoribus vaſis, & hiatibus, quàm majoribus. Denique id ipſum ad ferrum candens, quod nonnulli faciunt, extendendum non eſt, quippe ignis, præter momentaneum illum contactum cœteroquin eſt innoxius, vel ſaltim non niſi facilè corrigendam notam poſt ſe relinquit.

4. *Ligaturæ crudeles, ſanguinis impetuoſo motu conjuncto, inutiles.* Utut enim leniores illæ ligationes extremorum, & conſtrictiones frontis pro remorando aliquantulum ſanguine & conſtringendis vaſis non ſint de nihilo, quo nomine quoque frigida ut lapides, & ſimilia, præter effluvia quæ præſtant, arctius manu vel ſub axillis detenta commendare quis poſſet; attamen, ſi in his excedatur, & gratia, quæ decet medicum, perditur, & tantùm abeſt, ut hoc pacto ſiſtatur fluxus, ut potius arctato ſpatio ferocius

Digitized by Google

rociùs exundet. Legi de hoc dignus eſt *Heer. obſ. 13. p. 170. ſeq.* Referri huc quoque poteſt ipſa obturatio narium fortior, per hanc enim illo caſu nil amplius proficias, quàm ut in os regurgitet cruor. Hinc idem hoc eſt, ac ſi quis fermentantis muſti vim orificio vaſis obturato velit reprimere. Præſtat internum illum ὀργασμὸν tollere, ac præcipitare, quo ablato facilis hinc eſt occluſio.

FINIS.

INDEX

Digitized by Google

INDEX RERUM, PRÆCIPUE MEMORABILIUM.

A.

Abſceſſus 28. 184

interni 31

Abſorbentia 44. 45

Acaciæ flores 141

Acerba 14. 19

Acida 14.19

an calida ſint vel frigida 20

Acidulæ quomodo agant 151

artificiales 152

Acor Helmontianus 73

Acria 11. 12. 17

Adſtringentia 33. ſeqq.

Agaricum 146

Alexipharmaca 163. ſeqq.

Alimenta 1. 2

Aloe 146

Alvi obſtructio 26.132

Amara 11. 12. 17

Amor inſanus 120

Amuletum pro pediculis 179

Anagyris 157

Angina 217

Anodyna 199. ſeqq.

Anthelminthica 178. ſeqq.

Antidoti ſpeciales 167

Antimonii ſulphur & flores 161

vitrum *ibid.*

vitriolatum *ib.*

Antiſcorbutica 11

Antivenerea 225

Anxietates 92. 109. 125

Aperientia 43

eorum gradus 49

Aphonia 81.216

Aphrodiſiaca 220. ſeqq.

in ſenibus alvum laxant 224

Apoplexia 45. 46. 81. 210. 216

ejus præſervatio 80

Apoſtemata 27

Appetentia canina 99

Aqua benedicta Rulandi 161

adſtringentes 38

tepida 156

Aquea 19

Ariditas faucium 23

Aromatica 12.17

Arthritis 123. 171. 203

vaga ſcorbutica 125.126

Arthritica 122. ſeqq.

Aſarum 141. 158

ejus extractum ſeu coagulum 158

Aſcarides 185

Aſthma

Aſthma 45.52 89.185
flatulentum 177
Atheromata 28
Atriplicis ſemen & radix 156
Atrophia partium 24.27.54.56
Attrahentia 54
Auditus difficultas 87
Aurium ſuſurri 142
tinnitus 87.175
Aurum vitæ Kegleri 157
Auſtera 14.19
Azoth 157

B.

BAlnea adſtringentia 41
Betonica 156
Bezoardica 95
Bilis quid ſit 103
alimentaris 105
excrementitia ibid.
reſtaurantia 103
Bryonia 143.157
Bubones peſtilentiales & ♀ei 64
Bulbi Narciſſi 156
Bulimus 99 100

C.

CAchexia 92.103.104.107.108. 130
Calculus 9.27.45.48.113.114.186 201
ejus cauſa 112
Calculoſi ſimul hypochondriaci 110.112
Calida 16. ſeqq.
Calidum innatum 13
Callum generantia 76
Camphorata ubi conveniant 173
Cancer 32.53.66.148
Cantharides 58
cur veſicæ infeſtæ ibid.
acetum addatur 59
Capitis dolor 55 57
Cardiaca 91
Cardialgia 98.100.109.115.176
Caries oſſium 62.142
Carminativa 43.174. ſeqq.
Caſus ab alto 90.148.184.
Caſſia ſolutiva 143
Cataplaſma emolliens 31
Cataputia 157
Catarrhi 45.83.123.130
tenues, ſalſi &c. 35. 89.217
eorum fons 208
Cauſtica 57.61.63
Cauterium indolens 64
Cerebrum an afficiatur in catarrhis 209
Cephalica 79. ſeqq.
volatilia 81
fixa ibid.
Cholera 35.100.147
Chylus quid 110
Chylificatio læſa 98
Cicatriſantia 74
Cingulum ſapientiæ 218
Clavi pedum 26

Clyſte-

Digitized by Google

Clyſteres adſtringentes 41
eorum inventio 10
materia 31
Cnicus 144
Coagulum caſei 157
Coccognidium 157
Colica 31. 115. 132. 147. 175
bilioſa 176
Color 8
Colocynthis 144
Coma ſomnolentum 81
Contuſio 53
Coralia euporiſton in affectu hypochondriaco 110. 112
Cordialia 92
Coryza 210
Crocus metallorum 161
Cruditas acida 98
nidoroſa 99
Cucumeres 156
Cyclamen 157

D.

DAcrydium 150
Deliria 94. 131
Dentitio 27
Dentium mobilitas 34
dolor 34. 203. 207. 216
Diabetes 114. 187
Diaphoretica 170. ſeqq.
Diarrhœa 35. 37. 38. 51. 147. 205
Digerentia 16. 127
Digeſtiva 29 68
Diuretica 185 ſeqq.
Dolores 46. 203
capitis *ibid.*
ventriculi 159
hypochondrii 105
poſt partum 120. 175
ſcorbutici 202
Dropax 57
Dulcia 13. 14. 17
aperientia 49
ſpleni nocent 202
ſaccharata hyſtericis nocent 121
Dyſenteria 35. 37. 38. 39. 41. 51. 147. 205
maligna epidemia 164
indolens 64

E.

EBrietas 81
Ebuli ſemen & cortex 142
folia & flores 157
arillorum oleum *ibid.*
Elaterium 145
Electuarium de paſſulis 104
Diaſari Fernel. 158
Elephantiaſis 172
Emmenagoga 117. 189 ſeqq.
gravidis non danda 192
lac non augent 194
Emollientia 16. 26. ſeqq.
Emulſio Chimica 110
Epilepſia 46. 55. 80. 211. 212. 219
Epithymum 143
Epulotica 74
Errhina 208
Eruca 157
Eryſipelas 32. 197
Eſcharotica 74
Eſula 145
Experientia 7. 25

F.

Febres 20. 172. 176
ardentes 81. 130
catarrhales 205
Hungaricæ 94. 165
intermittentes 45. 148
malignæ 95. 96. 148. 165. 174. 206
peſtilentiales 165
petechiales 166
puerperarum 164. 165
quotidianæ 130. 158
quartanæ 109. 145. 158
tertianæ 104. 130. 147
Febrifuga 93
Fermentum ventriculi pervertentia 100
Fiſſura labiorum 76
linguæ 23
mammillarum 32. 35
Flatus 45
eorum cauſa 174
hypochondriaci 176
uterini 175
Fluor albus 35. 41. 119. 122. 229
Fœtida 11
Fœtor pedum 34
Fœtum promoventia 118. 193
mortuum pellentia 194
Fonticuli quomodo parãdi 65
eorum locus *ibid.*
Frangulæ cortex 143
Frigida 18. 19
æquivocè talia 20
Furunculi 27

G.

Gangræna 54. 64
Geniſtæ flores & ſemen 157
Gialapium 149
Gibbus 26. 34
Gingivæ ſcorbuticæ 216
earum debilitas 217
laxitas 34
putrilago 62
Glandularum tumor 27. 218. 219
uſus 213
Glutinantia 73
Gonorrhœa 35. 226. 229
ſimplex 145
virulenta *ibid.* 230
Gradus temperierum 15
eorum manſiones 15. 16
Grana tilli 143
Gratiola 145
Graveolentia 11
Grumos ſolventia 183 ſeqq.
Gummi guttæ 145. 158

H.

Hæmoptyſis 35. 37. 40. 89. 91. 205. 217. 2 2
Hæmorrhagiæ 21. 35. 52. 53. 64. 232
earum cauſæ 231
arteriarum 234
cachecticorum & hydropicorum 42. 109
enormes 233.
narium 36. 205. 234
ſcorbuticorum 36. 232
uteri 205
Hæmorrhoides 9
Hectica 24. 34. 49. 53. 217
Helleborus albus 142. 157
niger 144
Hemicrania 59

Hepa-

Hepatica 102. ſeqq.
Hermodactyli 144
Hernia 27. 175.212
Hircus alarum 34
Humida 23
Humidum radicale *ibidem*
Hydrelæum 156
Hydrops 103.106.107.145 147
confirmato opiata nocentiſſima 205
Hypercatharſis 35
Hypochondriaca affectio 45 46. 48.108.109.148
ejus cauſa 109
Hyſſopi decoctum 157
Hyſteralgia 119. ſeq.
Hyſterica affectio 93. 119

I.

Ichor ulcerum ſeroſus 124.126
Icterus 103. 130.147
flavus 46
niger *ibid.*
Impotentia à faſcino 224
Incidentia 45
Incraſſantia 33.50
Indurantia 33
Inflammatio 27. 52. 184
hepatis 184
mammarum 199
Inflationes poſt cibum 176
Inguinum tumor 27
Intertrigo 35
Iris noſtras 142
Iſchæma 231. ſeqq.
corroſiva 237
Iſchiadicus dolor 55.123
Iſchuria 113.186
Juglandis arbor 156
juli *ibid.*

L.

Lac augentia 195
imminuentia 196
Lævigantia 66
Lapis armenius 142
Lazuli *ibid.*
medicamentoſus 62
corroſivus 63
Lendes 183
Lenientia 131
Lepra 131. 148
Lethargus 81. 110. 216
Ligaturæ in hæmorrhagiis 237
Linimentum nervinum 201
Lipothymia 94. 171
præcordialis 159
Liquor cephalicus 81
Lithontriptica 112. ſeqq.
Lochiorum fluxus nimius 119
Lues venerea 145. 172. 218. 219
Lumbrici 145
Luxatio 34

M.

Magnes arſenicalis 64
Malignitatis eſſentia 34
Mammillarum tumor 27
fiſſuræ 32
Mania 80. 94.145.219
Manna Calabrina 143
Martialia 38
quomodo agãt 46.108
cur ab iis feces tingantur 112
aſſumpta motum requirunt 111

humida ubi conveniant 166
ſicca *ibid.*
Maſticatoria 213.ſeqq.
Mataliſta 144
Maturantia 26
Mechoacanna 147
Medicamentum quid 1
eorum differentiæ 2
ſimplex *ibid.*
compoſitum 3
crudum *ibid.*
præparatum *ibid.*
eorum qualitates 3
copia 24
ſelectus 25
Medicamenta ad ambuſta 76. ſeqq.
Melancholia 80.82. 121.145.148
hypochondriaca 108. 131
Melicerides 28
Melones 156
Memoriæ debilitas 80.83.216
Menſes dolorifici 120
immodici 41.42.119.122. 232
obſtructi 48.188.ſeqq.
Mercurius vivus appenſus cur lac augeat 196
dulcis 106.145
ejus flores argentei 157
præcipitatus *ibid.*
vitæ 162
an cum ⊕lo ♂ κάτω tantum purget 159
Mercurialia 215
eorum actio *ibid.*
dentibus & oſſibus inimica 218
Mezereum 142
Mictus cruentus 114.224
Mictio in lectum 34
Mola 118
μόλυνσις 109
Morbilli 165.166
Morſus canis rabidi 164
aranearum *ibid.*
Motus convulſivi uteri 119
Mucilaginoſa 11.19.23
Myrobalani 141

N.

NArcotica 19[illegible]
Nares emunctorium capitis 2[illegible]8
earum uſus *ibid.*
membrana maxime ſenſilis 208
obſtructio 11[illegible]
Nephritica 112.ſeqq.
Nephriticus dolor 27.31.46
Nervorum punctura 62
Nicotiana 157
Nitroſa [illegible]
Nux vomica 156

O.

OBſtructiones 44
Odor 10

Oleoſa

Oleoſa 30
Oleum amygdalorũ dulcium 31
antifebrile 97
Ophthalmia 52. 55.59 85.
Ophthalmica 84.ſeqq.
Opiatorum actio 203.204
noxæ 206.207
Opii laudes 204
virtutes 205
doſis 206 ſeq.
in clyſteribus omittendum 207
optimum aphrodiſiacum *ibid.*
Opopanax 142
ὀξυδερκικὰ 85
Oxymel ſimplex & helleboratum 158
Oxyſaccharũ emeticum 159.162
Ozæna 210

P.

PAlpitatio cordis 48. 59. 108. 172.176
Paralyſis 44.46.54.56.80.81.124. 130
linguæ 216
Paregorica 50. 80
Paronychia 200
Partus difficilis 27. 119
Partum promoventia 27.193.212
quando danda 193
Pediculi 183
Pepones 156
Perſicorum flores 141
Peſtis 34
Phrenitis 80. 81.94
Phthiſis 34. 51. 70.89
Pilularũ aſſumendi modus 150
Pituita 188
Plattulæ 179
Pleuritis 9.27.40.80.90.171.184. 185.200.203
flatulenta 177
Podagra 123.125.219
Podagrici dolores 27. 119
Pollutio nocturna 35.105.114. 220.227.229.230
Polypodium 141
Polypus 210
Porotica 76
Præcipitantia 46
Præparantia 127
Principia agendi medicamentorum 1.3
cognoſcendi 7
activa 16
paſſiva *ibid.*
Pruritus 53
teſtium *ibid.*
Pſilothra 67
Pſora 131
Pſyllii ſemen 141
Ptarmica 208
ſingultum ſedant 212
Pulvis dyſentericus Cratonis 51
Heurnii ad hæmoptyſin 232
lenitivus infantum 142
nephriticus 45.113
ſtypticus 58.42
Syrius 150

 Purgan-

Purgantia 134.ſeqq.
an venena 135
quomodo agant 134
ſunt ſimul ſternutatoria 137
bilem 151
ſerum *ibid.*
panchymagoga *ib.*
an ob acidũ agãt 152
non uſitata 141
rarius uſitata 143
compoſita ſelectiora 151
non promiſcuè danda 127
eorum poteſtas electiva an detur 140
remoræ 128
interdum evadunt aphrodiſiaca 222
Purgatio quotuplex 136
Pus moventia 30

Q.

Qualitates 3
occultæ an & quid ſint 6
primæ 4
ſecundæ 5
tertiæ 6
Quartana 109.145.158

R.

Raphanus 156
Ratio 7
Relaxantia 30
Remedia à brutis ſuggeſta 10
Renum exulceratio 35.51.114
Repellentia 52
Reſinoſa 11.17
Reſolventia 30.31.44
Rhabarbarum 147
Rhamnus ſolutivus 143
Ricini ſemen *ibid.* 257
Roſa vitæ mineralis 162
Rubefacientia 56.57
Ructus 98.176
Ruſma 67

S.

Sagapenum 142
Salivatio mercurialis 215
quomodo inſtituatur 217.219
Salivantia 213
Salſa 13.17
Sambuci cortex medianus 141
156
radicis ſuccus *ibid.*
ſummitates 156
arillorum oleum 157
Sanguinis rarefactio 93
vis ſanguinem ſiſtendi 236
Sapor 12
ejus differentiæ *ibid.*
Saturantia 46
Saturnina veneri inprimis adverſa 227
Scabies 128.131.145.148.172.174.219
Scammonium 149
Scirrhi 28.31
hepatis 45.46.107
Scorbutus 45.108.172
Scorbuticis ſæpe volatilia nocent 110

Scro-

Scrophulæ 28
Semen quid 225
Sena Alexandrina 148
Septica 66
Serpẽtes quomodo noceãt 168
eorum morſus *ibid.*
Sicca 23.24
Signaturæ 8.9
Sinapiſmus 57
Singultus 58.98.100.176.212
Sitim ſedantia 214
Soda 100
Soldanella 145
Specifica 6.7
an dentur 79
Sphacelus 54
Spiritus vitæ aureus Rul. 144
Splenetica 107. ſeqq.
Sterilitas 130
Sternutatoria an in epilepſia conveniant 210. ſeqq.
Stomachica 97. ſeqq.
Stranguria 186.124
Strumæ 28
Styptica 19. 33
Svaveolentia 8. 9
Sudor nimius ſeu colliquativus 34.35.51.53.94.109
ejus cauſa 110
cruentus 34.53
Anglicus 164
Sudorifera 170. ſeqq.
Suffocatio hyſterica 199. ſeq.
Suffuſio 85
Sugillatio 85
Sulphurea 11
Suppurantia 28.86
Syncope 93.94.95.171
T.
TAmarindi 143
Tartarus emeticus 162
Temperies calida 14
frigida 18
humida 22
ſicca *ibid.*
Temperata 14
Teneſmus hæmorrhoidalis 105
Terrea 14.17.19
Terebinthina 141
Terebinthinatorum vires 113. 188
Thermæ 151. ſeq.
Thoracica 89. ſeqq.
Tinctura odontalgica 216
Tinea 183
Tonica 33.34
Tormina hyſterica 175
infantum 149
poſt partum 175
Travmatica 68
Tumores ſanguinei 27.31
atrabilarii 32
frigidi 31
glandularum 171
pedum ſcorbutici 34
inguinum 171
Turpethum minerale 157
Tuſſis 51.52.89
Tympanitis 167
V.
VAriolæ 165.166.171
Venena 1.2
quo-

quomodo agant 163
ſpecialia 167
Venenorum vegetabilium noxa 169
Venerem cientia 220 ſeqq.
quænam excitent in ſenibus 223
Ventriculi eroſio 51. 102
imbecillitas 33
Vermes 144. 145. 147. 179 ſeqq. 182
aurium 87
cordis 179
quomodo generentur 178
Verrucæ penis 62
Vertigo 46. 80. 175. 176. 211. ſeq.
ſympathica 98
Veſicatoria 55
eorum uſus nobiliſſimus 60
formulæ 59
applicatio 65
Vigiliæ nimiæ 80. 81. 202
ſenum 81. 206
Violarum ſirupus & mel 141
Viperarum morſus 168
Viroſa 19
Viſus imbecillitas 85
Vitriolum martis 159
ejus gilla 159
ſal *ibid.*
ſpiritus regeneratus 160
Ulcera 70
an ab acido 72
corneæ 75. 85
δυσεπουλωτικά 24. 62. 75
fiſtuloſa 64
gallica 218
humida 62. 71
labiorum 76
ſordida 62. 64
verminoſa 183
Unguenta adſtringentia 24. 41
Ungues humani 157
Vomitoria 153 ſeqq.
quomodo differant à purgantibus 153. ſeq.
ex quibus partibus evacuent 155
non uſitata 156
uſitata ſelectiora 161
quotuplicia 155
Vomitus 38. 58. 97
cruentus 35
Urinæ ardor 114
elementa 185
incontinentia 34
ſegregatio in renibus quomodo fiat 187
Urinoſa 11
Urticationes 56. 61
Uterina 117. ſeqq.
Vulnera capitis 71. 72
nervorum 124. 142
recentia 71. 184
Uvulæ laxitas 58

F I N I S.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA
384.254

Succus Chalybis iuxta Heurnium 6. Aphoris. comment. 6. convenit
dolore renum et vesica. pag. 114. vide de Med. facult. de Nephrit-
ica κυστικα et νεφριτικα eadem ratione tractantur pag. 115.

Digitized by Google

Digitized by Google

pulvis Lenitivus infantium pag. 142
o: Sternut. ad partum. pag. 212.

Digitized by Google

B g 2